


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/





WILLEBRORDI SNELLII,

À ROYEN, R. F.

TIPHYS BATAVUS,

SIVE

HISTIODROMICE,


DE

NAVIUM CURSIBUS, ET RE NAVALI.



ALTER ERAT TUNC TIPHYS, ET ALTERA QUÆ VEHAT ARGO
DELECTOS HEROAS. ERUNT ETIAM ALTERA BELLA.

Edita primò Lugduni Batavorum, ex Officinâ Elzevirianâ, Anno Domini 1624; nunc verò demùm impressa in Officinâ JONÆ DAVIS, Londini, Anno Domini 1795.



Hopkins Transportation Library
STANFORD UNIVERSITY

2851

PRÆFATIO

AD ILLUSTRISSIMOS POTENTISSIMOSQUE HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ ORDINES.

ILLUSTRISSIMI ORDINES,

TYRUS illa, quæ olìm partu clara, urbibus genitis, Lepti, Uticâ, & illâ Romani imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ, Carthagine; etiàm Gadibus extrâ orbem conditis; ut ait Plinius: Tyrus, inquam, illa, quæ mercaturis & mercium exagogis faciundis omnia mediterranei maris littora complevit, et navigandi ſtudio reliquas Phœniciæ maritimas urbes longè antecelluit: quæque ſola, ſuperatis terrarum anguſtiis, per mare Erythræum elapſa, Aſiæ et Africæ littora luſtrare, et externa maria tentare, naturâ propemodùm reluctante et invitâ, auſa eſt: cui uni Rex Solomon, Iſthmi illius dominus, claſſem ſuam auro, argento, aromatis, lapidibus pretioſis et gemmis reportandis, committendam cenſuit: Ea, inquam, Tyrus, univerſam Phœniciam novarum rerum, et artium inveſtigandarum ſtudio inflammavit. Huic enim Grammatica, in literarum inventione; Arithmetica, ob numerorum uſum; Aſtronomia, in navigiorum curſu regundo; Geographia, in terræ mariſque delineatione; originem ſuam debent; ut reliquarum rerum plurimas, et humanæ vitæ opportunas, inventiones nunc miſſas faciam. Tyrii enim, ob mercimonia et commercia, quæ cum omnibus gentibus exercebant, ingeniis utilitate et emolumento ad abdita perſcrutandum excitatis, quam plurima in lucem protraxerunt. Quotieſcunque igitur iſtud cum animo meo reputo, permulta in hâc noſtrâ patriâ iſtis haud diſſimilia adverto; quod tanto evidentius erit, ſi ſuperiorum ſeculorum

tenebras

tenebras cum hâc luce conferamus. Cum enim jam pridem Arabicarum et Indicarum mercium monopolion Alexandrini in Africâ et Asiâ possiderent, Veneti in Europâ; et (ut omnium rerum suæ sunt periodi, suus ortus et interitus) cum tandem aliquando Columbus in Americam expeditione susceptâ penetravisset: Lusitani quoque, vitatis longo circuitu terrarum excurrentium promontoriis, in Indiam Orientalem, et insulas aromatiferas navigationem instituerunt. Inde paulatìm accisa Alexandrinorum portoria; et Venetorum uberrimus ille vectigalium proventus non parùm est imminutus. Omnémque hunc adeò censum Lusitaniæ reges in suum fiscum redegerunt. Atque isto successu et occasione totam propemodùm Europam multos annos vectigalem habuit Hispania: donec tandem ipse Novus Orbis (postquam jugi adeò diri depuduisset) fatis ità volventibus in vestris penetralibus Amstelodami, atque alibi, horrea aromataria et piperataria propemodùm ignaris vobis exstruxisset. Quâ opportunitate excitati, navigandi studio classibus vestris maria omnia complevistis. Inde adeò factum, ut homines nostri, quibus anteà nihil esset inerti otio antiquius, jam omnia maria sollicitare, et deficiente terrâ in ipso Oceano errare gaudeant, terras ignotas quærentes. Atque hinc quoque tantus vestris urbibus splendor accessit, atque illarum artium cultura singularis et eximia emicuit, quarum præconio Phœnices tantoperè celebrantur. VOS enim, quamvis maximo et difficillimo bello, ab hoste potentissimo, terrâ maríque distineremini, Academiam tamen Lugduni in Batavis erexistis, viris celeberrimis et doctrinâ excellenti undique evocatis, quorum operâ liberalia ingenia excolerentur; et profectò spem vestram eventus non est frustratus. Habetis enim ingenia ad omnem doctrinam percipiendam excitata: homines, inquam, non minùs gnavos, quàm ingeniosos, qui omnia sua studia, omnem operam ad Patriæ salutem et celebritatem conferre summâ contentione nituntur: quibus omnibus, ut in doctrinâ et ingenio priores partes non invitus tribuam; ita affectu, et animo in patriam propenso me cuiquam concessurum negabo; et, si non assequor quantum quidem optem, at saltèm, quantum sedulitate et industriâ consequi potero, id omne Deo et Patriæ sacrum lubens offeram. Útque hujus affectûs aliquod pignus extaret; non quidem illud vestrâ Amplitudine dignum, nisi ipsi non indignum esse voluissetis; cum rei maritimæ curam adeò anxiè et sollicitè geratis, ut etiàm ultrò præmiis propositis omnes ad eam juvandam promovendámque invitetis. Vestrâ igitur autoritate, *Ordines Illustrissimi*, permotus, existimavi, me operam non inutilem aut infructuosam collocaturum, si navigandi leges accuratâ et non fallaci demonstratione instruerem; quod ipsum quoque videbam viros in hoc docto pulvere versatissimos semper omni studio esse conatos. Postquam enim humanum

humanum genus Deo docente navigare didiciſſet, et cum ipſe pontus littoribus careret; Noachus cum univerſi mundi depoſito ſolis fluctibus vehebatur. Poſteà hominum induſtriâ etiam vela excogitata ſunt, quæ ventos procellâſque reciperent, quorum impetu navis impulſa curreret. Sed eadem frenum ei quoque injecit, et clavo gubernatorem admovit. Ut adeò vaſta moles exiguo gubernaculo regeretur, et pro vectoris arbitrio motus ſuos componeret; atque curſus ſuos ita inflecteret, ut etiàm contrà ventorum flatus obniteretur, et hoc pacto terrarum orbem ultrò citróque portaret. Eam adeò ob cauſam jam olìm omnes tam ſollicitè huic uni rei incubuerunt, ut curſuum ratio ipſis certa conſtaret, et eos regundi ſcientia quædam extaret, cujus præceptis et ductu navem ſalvam in portu collocarent. Multò autem maximè proaverum noſtrorum memoriâ, poſtquam immani et audaciſſimo auſu longinquæ illæ navigationes trans mare Oceanum tentari occœptæ. Tunc enim homines docti, et qui ſuprà cæteros ſaperent, id unicè operam dederunt, ut certâ aliquâ ratione et viâ navigandi artem conſtituerent, quæ in eo tota maximè eſt ſita, ut longitudinem et latitudinem cujuſque loci habeant exploratam. Quarum altera ex obſervationibus cœleſtibus haud admodùm difficultèr quotidiè eruitur. Ad longitudinis autem inveſtigationem nihil uſquam extabat auxilii, aut præſidii. Tandem Magnes repertus, et ex ipſis terræ viſceribus eſt erutus; ſaxum impolitum id quidem, nullo ſplendore, opacum, aſperum, ſcabrum, colore ferrugineo; ſed cuivis gemmæ contrà comparandum. Hic eſt ille magnes, qui noſtri miſertus, tanquam officioſiſſimus ξενάγωγος, miſeros mortales, etiàm vitæ ſuæ prodigos, per totum terrarum orbem ſalvos et ſoſpites deduceret; et in ipſis tenebris, erronibus illis facem alluceret; ac noctù, interdiù, tanquam nomenclator aliquis, omnium curſuum plagas referret, et fidi monitoris officium faceret. Atque illinc hominibus ſagacibus cogitatio injecta, horum curſuum affectiones accuratiùs ſcrutandi. Unde illud continuò notatum, longitudinis et latitudinis inveſtigandæ rationem perbellam hinc poſſe derivari; et ex curſûs plagâ, atque æſtimatâ ejus quantitate, iſtas quotidiè ad abacum venire. In ſcrutandis igitùr legibus ejus lineæ, quæ magneticæ acûs ductu à navibus deſcribitur, iiſque accuratiùs explicandis, certatìm à doctis paritèr et indoctis integrum jam ſæculum laboratur. Cum longitudinis inveniendæ via in medio mari nulla extet alia, præter eam unam, quæ acûs magneticæ indicio eruitur. Et profectò omnes oræ maritimæ hanc incudem jam diù tudiſârunt; neque id privatìm ſolùm, ſed etiàm publicè. Senſit ea res et Veſtram, *Illuſtriſſimi Ordines*, quoque curam. Quoties enim liberalitatem veſtram ſenſerunt ii, qui loxodromiarum uſum faciliorem

rem feliciorémque proferre sunt conati? sive id in tabulis planis, seu in gibbis
ıærarum segmentis explicarent: ut nullus quidquam hâc in parte rem ma-
imam juvisse existimatus sit, qui non reapse sit expertus, VOS id omni folli-
udine et curâ eniti, ut ea quoque pars tàm absoluta sit, quàm per naturam
liceat. Quod adeò non indignum vestrâ Majestate existimatis; ut etiàm
rò omnium studia provocetis. Nec immeritò: cum tot hominum fortunæ
dentibus quotidiè committantur, et in vasto illo Oceano natent. Ut enim
vigandi industriâ nulli gentium concedimus, ita navigiorum multitudine et
ilitate reliquis facilè pares sumus. Cúmque multi, laudando de patriâ benè me-
ıdi studio, aures vestras crebrò fatigent, et longitudinis rationes in mari ex-
catas vobis exhibere gestiant: non existimavi, me quoque, aut patriæ, au
rum rerum cupidis deesse debere. Quamobrem ista omnia ab ipso fund
nto solidis rationibus arcessere institui, ut inde quantum res ipsa in mari
, aut quàm propè ad verum accedat, definitè constaret. Dedi itaque ope-
n, ut, summâ cum diligentiâ annotatis difficultatibus, quas vitari aut interpo-
e necesse sit, præcepta certa, brevia, factione expedita et parabilia, in m um
ferrem, et omnia demonstrationibus firmata, usu observata, ordine et iâ
ıstituerem. Quæ ut omnibus bonis et veritatis studiosis grata fore mihi est
suasissimum; ita hunc meum laborem vobis quoque, *Ordines Illustrissimi*,
bari unicè optem,

Vestræ Amplitudini

Addictissimus,

WILLEBRORDUS SNELLIUS,
à Royen, R. F.

BENEVOLO

BENEVOLO LECTORI.

CUM supremi numinis providentia primam illam rerum omnium massam, sub quâ totius naturæ moles latebat indigesta, suis locis disparavisset; et hæc inferiora, sive vi magneticâ divinitùs insitâ, seu ratione Isorropicâ libratis circa ad mundi punctum elementis, dissociavisset: Aer quidem ille spirabilis supra nos, et inde purius elementum, suas sibi sedes delegerunt. Ne autem illius molis nucleus, et reliquis gravior terræ globus aqueo humore proximè ambitus et circundatus, terrenis animantibus esset inhabitabilis; ideò Divina illa mens, mundi architectatrix, Terram hanc diffregit; et montes quidem attolli, ac valles jussit subsidere: ut in his cavitatibus, tanquam sinubus, circumfluum et innataturum alioquìn, humorem exciperet; aut in terræ visceribus concretum egestúmque, in amplissimum æquor evolveret. Atque, ita positis diversorum elementorum limitibus, terrâ eminente, et aquâ depressâ, in eâdem perfecti orbis specie, humanum genus alios alio disparavit. Inde necessitas, an libido, terras elemento adeò dissociabili dissaeptas lustrandi, mortales incessit animos. A quorum cupiditate et ingenio, ut neque aer, nec ipsius terræ intima penetralia tuta esse potuerunt: ita quoque non marini æquoris vehementia, non insani fluctus, nec infida vada, neque ventorum frementium impetus eorum conatus inhibere potuerunt; quo minùs regiones adeò immenso æquore disjunctas, mercibus ex alio Orbe, et ad luxuriam petitis, adirent; vel cœlum ipsum petituri, si lucri odor ullus istinc adspiraret. Primis quidem sæculis, et sub ipsis mundi incunabulis, quamdiù mortales in locis mediterraneis ætatem agebant, ubi avitis laribus et fundis vitam parcè ac duritèr tolerabant,

De origine artis Navigatoriæ.

——— Non turbida ponti
Æquora lædebant naves ad saxa virósque.
Sed temerè incassum mare, fluctibu' sæpe coortis,
Sævibat, levitérque minas ponebat inaneis.
Nec poterat quenquam rapidi * pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
IMPROBA navigii ratio tum cæca jacebat.

* Fortè legendum foret, *placidi*.

Phœnices primùm mercaturis et mercibus suis avaritiam, et magnificentiam, et inexplebiles cupiditates omnium rerum importaverunt in Græciam, inquit Cicero: ἀπαγινέοντες φόρτια Αἰγύπτιά τε καὶ Ἀσσύρια. Et sanè ipsa gens Phœnicum in magnâ gloriâ literarum inventionis et siderum, navaliúmque et bellicarum artium, Plinio

fuit. Et Herodoto quoque in ſuarum hiſtoriarum limine, Phœnices, inquit, qui à mari quod rubrum vocatur profecti, poſitis ſedibus in eâ regione, quam nunc quoque incolunt, longinquis continuò navigationibus incubuerunt: faciendíſque Ægyptiarum et Aſſyriarum mercium vecturis, cum in alias plagas, tum etiam Argos pervenerunt. Argos enim eâ tempeſtate omnibus Græciæ civitatibus antecellebat. Huc porrò appulſos Phœnicas mercimonia expoſuiſſe Perſæ memorant: et quinto ſextóve quàm appuliſſent die, cunctis ferè divenditis, fœminas ad mare veniſſe, cùm alias multas, tùm regis quoque filiam, cui nomen eſſet idem quod Græci tradunt, Io, filiam Inachi. Dúmque hæ navi aſſiſtentes mercarentur quæ maximè expeterent, in eas unanimi conſenſu Phœnices impetum feciſſe; et, pleriſque earum fugâ elapſis, Io cum aliis aliquot correptâ, in Ægyptum retrò vela convertiſſe. Scilicet tu adhuc

Ultimus immenſo reſtabas, Nile, labori.

Verum navigandi artis gloriam, et fabricæ rationem antiquiſſimus Prometheus apud Æſchylum ſibi vendicat,

Θαλασσόπλαγκτα δ' ὔτις ἄλλ@ ἀντ' ἐμῦ
Λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

Et profectò qui naves ad oras aliquas ignotas appuliſſent, et præter illorum littora vel remis, vel expaſſis velis novo et ante eum diem ipſis inviſo vehiculo, per maria diſcurrerent, Barbarorum animos non minùs percelluerunt, quàm Argo paſtoris illius animum apud Attium, qui, cùm navem nunquam ante vidiſſet, ut procùl divinum, et novum Argonautarum vehiculum ſtupens et perterritus conſpexit. Ea quidem res adeò grata illis temporibus accidit, ut quicunque commodiorem velociorémque aliquam navigii ſpeciem excogitaviſſet, vel expeditionem in oras nulli priorum aditas inſtituiſſet, eorum induſtriam ad errorem fabulæ traduxerint; ut divinitùs naves hominibus datas, et Deorum auſpiciis ſtructas et fabricatas aſſeverare non dubitaverint,

——— ipſámque ſecandis
Argoïs navibus * jactent ſudâſſe Minervam.

* Fortè legendum foret, ...us, vel ...s.

Fuga Phryxi et Hellês Arieti vectori χρυσομάλλῳ imputatur, qui ob hoc beneficium princeps inter Zodiaci ſigna refulget, et nobis ver aperit. Hâc omnes poëtarum fabulæ perſonant, omnis ſcena fervet, et ab eo caſu etiàm anguſtiſſimo inter Aſiam et Europam freto nomen eſt impoſitum. Atqui dum Phryxus cum Helle ſorore novercales inſidias fugeret, ἐτύχησε πλοίυ ᾧ τὸ παράσημον κριὸς ἦν, navem nactus eſt, cujus inſigne, et inde quoque nomen, Aries erat. Ille enim in prorâ vel pictus vel fictus ſtabat. Verùm quia non tantùm à Grammaticis, ſed etiam à Philologis doctiſſimis de hoc navis inſigni ſeu παρασήμῳ multa prodita exſtant, quæ nimìs jocularia et perquam abſurda ſunt, operæ pretium erit hæc enucleatè explicantem Joſephum Scaligerum audire. Παράσημον (inquit) erat in prorâ: et ibi ſtatuebatur Deus, Heros, beſtia, aut aliud quid, unde nomen habebat navis. In XXVII cap. Actorum Apoſtolicorum; ἐν πλοίῳ παρασήμῳ Διοσκύροις, nimirum τὸ παράσημον τῦ πλοίυ ἐν τῇ πρώρᾳ εἶχε τοὺς Διοσκύρυς. Gloſſa juvenalis: PEGASUS. Trierarchi filius, ex cujus Liburnæ paraſiâ nomen accepit. Videtur

Inſigni, παρασήμῳ, in prorâ ...

accipere

accipere parasiam pro parasemo, si locus mendo non vacat, et Liburna ea habuit παράσημον Pegasum. At Tutela statuebatur in puppe, quæ differebat à parasemo dupliciter; tum quod illius locus semper erat in prorâ, hujus autem in puppe; tum quod tutela semper erat Deus, aut Dea: παράσημον erat Deus, aut Heros, aut animal, aut aliud quid. Denique navis à parasemo, non a tutelâ nomen habebat. Ovidius: De Tutelâ navis, in puppe positâ.

Est mihi, sítque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, & à pictâ Casside nomen habet.

Nimirùm Cassis erat τὸ παράσημον, et ab eâ Navis vocabatur Cassis. Minerva autem, cujus erat tutela, destituta erat in puppi, aut in aplustri. In primo Iliados: ϛεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα. Scholion: ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν ἀκροϛολίων ἦσαν ἀγάλματα καὶ εἰκόνες τῶν Θεῶν. Hesychius: Πάταικοι. Θεοὶ, φοίνικες ὓς ἱϛᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Persius:

Ingentes de puppe Dei ———

Glossa vetus: Navium tutelam dicit, quam in puppibus habent, vel pingunt. Plutarchus: πυνθανόμενος τοῦτε ναυκλήρου τοὔνομα, καὶ τοῦ Κυβερνήτου, καὶ της νεὼς τὸ παράσημον. Nam ἀπὸ τοῦ παρασήμου nomen habebat, ut illa, in quâ Paulus Apostolus navigabat, vocabatur Castores. Scio equidem de Tutelâ navium multos scripsisse. Sed tùm eos video non benè hæc distinguere, tùm etiam Grammaticos τὸ παράσημον cum Tutelâ confundere. Græci παράσημον exprimunt. Tutelam autem non habent, quo exprimant.

Fuerit ergò Phryxæus Aries, non Aries, sed Navigii genus. De Tauro fabula haud est absimilis:

Sic et Europæ niveum doloso
Credidit Tauro latus, et scatentem
Belluis Pontum, mediásque fraudes.
Palluit audax.

Contrà Lycophron in obscuro suo poëmate cecinit, Europam à Piratis in manus traditam Astero Cretæ regi.

——— αἰχμάλωτον ἥρπασαν πόριν
Ἐν ταυρομόρφῳ τράμπιδι τυπώματι
Σαραπτίαν δίκταιον εἰς ἀνάκτορον
Δάμαρτα Κρήτης Ἀστέρῳ στρατηλάτῃ.

Id est, vertente Scaligero:

——— extulêre captivam bovem
Paronis intrà taurifrontis alveum
Ad sancta templa conjugem Saraptiam
Dictæa Cretes Stellioni principi.

Rapta igitur Europa Agenoris Phœniciæ Regis filia à Cretensibus navi, cujus παράσημον insigne Taurus erat; ídque, quemadmodùm ex Persarum historiis Herodotus interpretatur, tanquam ἀντίποινον, hostimentum injuriarum à Phœnicibus

cibus prius illatarum. Ita naves vel à figurâ, vel à παρασήμῳ in fabulas et miracula vertuntur. Triptolemi beneficium in humanum genus singulare fuit, qui, glandibus repudiatis, frugibus vesci docuit, et jussu Cereris agriculturam instruxit.

——— Geminos dea fertilis Angues
Curribus admovit, frænísque coërcuit ora:
Et medium cœli, terræ'que per aëra vecta est.
Atque levem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo, partímque rudi data semina jussit
Spargere humo, partìm post tempora longa recultæ.
Jam super Europen sublimis et Asida terram
Vectus erat juvenis, Scythicâsque advertitur oras.

Et quæ sequuntur. Atqui Philochorus autor est, Τριπτόλεμον μακρῷ πλοίῳ προσβάλοντα ταῖς πόλεσι τον σίτον διαδῦναι. ὑπονοεῖσθαι δε πτερωτὸν ὄφιν εἶναι την ναῦν, ἔχειν δέ τι κατ' τε σχήματος, *Triptolemum, longâ navi ad civitates maritimas appulsum, frumentum distribuisse; navem autem visam esse anguem alatum, quia hanc speciem utcunque suâ figurâ referret.* Credo, rostra navium animalium quorundam rostra similitudine quâdam expressisse, ut inde etiàm rostra dicta sint; atque ita veteres rei gestæ veritatem fabulæ coloribus involvisse, et posteris per manus tradidisse. Haud alio argumento Dædali et Icari fabula conflata est:

De fabulâ Dædali et Icari

Dædalus (ut fama est) fugiens Minoïa regna
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicâque levis tandem super astitit arce.

Sed iste quoque ἀποπλῆναι μυθεύεται σὺν Ἰκάρῳ τῷ υἱῷ αὐτȣ, πλόιȣ λαβόμενος καὶ διαφυγὼν τὸν Μίνωα, διὰ τὸ ἀνευρέτον γενέσθαι τῷ διώκοντι, *fabulosè avolavisse narratur cum filio Icaro, quod, navem nactus, Minoëm effugerit, cum persequentes eum non invenirent.* Ego existimem illum non magnâ nave fugam sollicitâsse, ne vel levissimam fugæ suspicionem Tyranno daret; sed singulos minoribus cymbulis corio undique contectis se commisisse: quemadmodum barbari etiamnum hodiè propè Fretum Davis in Americâ his illigati ad umbilicum usque, et coriaceo ἐπενδύτῃ parte corporis eminente tecti, μονοκώποι remo uno, duabus palmulis instructo, navigant.

Non hi carinas quippe è pinu texere
Fecêre morem, non abiete (ut usus est)
Curvant faselos: Sed rei ad miraculum
Navigia junctis semper aptant pellibus,
Corióque vastum sæpe percurrunt salum.

De equo Pegaso et Bellerophonte.

Et Dædalum quidem ita insularum aut continentis littora propiùs legisse: Icàrum verò longiùs provectum undarum impetu subversum periisse. Et Pegasus quoque et Bellerophon huc accedat: isto nempe equo ligneo per vias cæruleas vectus; ita enim Conon narratione suâ quadragesimâ apud Photium prodidit: ἡ τεσσαρακοστὴ ἱστορία, τὰ περὶ Ἀνδρομέδας ἱστορεῖ ἑτέρως ἢ ὡς ὁ Ἑλλήνων μῦθος. Duos fratres

tres fuisse Cephea et Phinea: ac Cephei quidem regnum, Phœnicíæ posteà nomen induisse, cum ad eum diem Joppe à maritimâ civitate appellatum fuisset: habuissétque imperii terminos à mari nostro, ad eam usque Arabiam, quæ ad Erythræum mare pertinet. Fuisse item Cepheo insigni pulchritudine filiam quam proci ambirent, Phœnix quidam, et ipse Cephei frater Phineus. At Cepheum, postquam varia de utroque secum ipse considerâsset, Phœnici tandem despondere filiam statuisse, ac per filiæ raptum consentientem suam voluntatem obtegere. Abreptam igitùr fuisse ex desertâ quâdam insulâ Andromedam, in quam soleret Veneri sacrificia oblatura secedere. Ita cum Phœnicis hujus rapientis navi (quæ Cetus dicta est, sive à piscis illius similitudine, sive casu aliquo) Andromeda tanquam insciente patre aveheretur, miserè eam ejulâsse, opémque cum lachrymis invocâsse. Ad ea Perseum, Danaës filium, forte fortunâ prænavigantem, cursum inhibuisse: primóque mox puellæ adspectu, pietate simùl et amore captum: tum navigium illud Ceti nomine expugnâsse, et vectores, tantùm non in lapidem præ metu versos, occidisse. Atque hunc illum esse Græcæ fabulæ Cetum, hos homines, Gorgonis viso capite in saxa mutatos. Et Palæphatus libro primo mirabilium historiarum, (qui solus è quinque hodiè superest,) eandem fabulam ad historiæ veritatem paulo alitèr revocat. Βελλεροφόντης (φησὶ) ἦν φρύγιος ἀνὴρ, τὸ γένος Κορίνθιος, καλὸς κὴ ἀγαθὸς, ὃς, πλοῖον κατασκευάσας μακρὸν, ἐληΐζετο τὰ παραθαλάσσια χώρια. ὄνομα ἦν τῷ πλοίῳ Πήγασος, ὡς καὶ νῦν ἕκαστον των πλοίων ὄνομα ἔχει. *Bellerophon*, inquit, *erat Phryx, domo, seu genere, Corinthius, vir formosus et strenuus, qui, fabricatâ longâ navi, è locis maritimis prædas agebat; navi nomen erat Pegaso; quemadmodum etiàm nunc dierum singulæ naves nomen aliquod sortiuntur.* Ita quoque Troicis temporibus Tyrrheni piraticam exercebant, myoparonibus et triremibus suis mare infestantes, quarum triremium una nomine Scylla, ut reliquas vincebat celeritate, ita suprà omnes mercatoriis navigiis insidiabatur: eam triremem, ut ait Palæphatus, Ulysses et celéritate navis suæ et secundo vento usus, felicitèr effugit: ἦν καὶ ναῦς τριήρης ταχεῖα, τό τε ὄνομα Σκύλλα· αὕτη ἡ τριήρης τὰ λοιπὰ των πλοίων συλλαμβανουσα πολλάκις εἰργάζετο βρῶμα. Huc Poëtarum princeps spectâsse videtur, cum lib. 5. Cloantho, qui Scyllâ vehebatur, victoriam tribuit:

——— illa Noto citiùs volucríque sagittâ
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.

In his quidem hactenùs fabularum figmentis omnia fuerunt involuta. At ille, qui primus omnium longâ nave maria tentavit, quantâ nominis celebritate in hominum sermonibus versatur? quanto ambitu celebratur? ut verè poetis fabularum Oceanum reclusisse videatur:

De Perseo et Andromedâ. *De navi Argo, et Argonautarum expeditione.*

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes:
Neve inde navis inchoandæ exordium
Cœpisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo, quâ vecti Argivi delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio regis Peliæ per dolum.

Longâ

Longâ enim nave Iasonem primum navigâsse, Philostephanus autor est. Ait Plinius libri septimi capite sexto et quinquagesimo:

Benè dissepti fœdera mundi
Traxit in unum Thessala pinus,
Jussítque pati verbera pontum.

Fuit hæc πεντηκόντορος prima, in eam cum Jasone quatuor et quinquaginta Argonautæ sunt ingressi. Hæc nempe erat illa delecta heroum manus, Θεῖος ἡρώων ἄωτος. In hanc unam flos totius Græciæ co-ivit: Hercules, Castor, Pollux, Diis geniti; alíique et reges et regum filii: Vates Mopsus, et Idmon: Naupegus Argus:

——— sors tibi, nequâ
Parte trahat tacitum puppis mare, fixáque fluctu
Vel pice vel molli concludere vulnera cerâ.

Celeustes ipse Orpheus,

——— qui carmine tonsas
Ire docet, summo pasSìm ne gurgite pugnent.

Navis magister et gubernator Tiphys,

Qui maris insidias, claræ qui sidera noctis
Nôrit, et è clausis quem destinet Æolus antris.
Non metuat cui regna ratis, cui tradere cœlum.

Denique navem ipsam fatidicam et humanâ voce locutam, fama est: habuit enim τρόπιν ἐκ της Δωδώνης δρυὸς, carinam è Dodonide quercu; aiunt enim Junonem, alii Minervam

——— Cæso, monitu Jovis, augure luco,
Arbore præsagâ tabulas animâsse loquaces.

Unde et Ciceroni divinum Argonautarum vehiculum dicitur. Itineris quoque stadiasmi, et cursus ita accuratè à poëtis proditi sunt, tanquam singulos ex ipsorum diariis expressissent; per quæ maria, quibus ventis cucurrerint, quæ littora prætervecti sint, quos portus intrârint, quæ freta transierint, quæ promontoria et quorumnam fluviorum ostia præternavigaverint, ad quas gentes et nationes accesserint, quemadmodum in ultimum Euxini Ponti angulum penetraverint,

ἐς Φᾶσιν, ἔνθα νηυσὶν ἔσχατος δρόμος.

Denique quomodo ad Eridani ostia in Peuce insulâ in reditu hyemaverint; reliqua lubens mitto. Et ista quidem hactenùs περίπλουν Euxini Ponti nobis universìm ob oculos ponunt, et heroum duros labores quos in hâc expeditione pertulerunt; quæ autem finis adeò difficilis expeditionis fuerit, ex Plinio facilè intelliges; is enim libri tertii et trigesimi capite tertio eas oras auri feraces prodidit. Jam, inquit, regnaverat in Colchis Salauces et Esibopes, qui Terram virginem nactus, plurimum argenti auríque eruisse dicitur in Suanorum gente, et alioquìn velleribus

velleribus aureis inclyto regno. Sed et illius aureæ cameræ, et argenteæ trabes narrantur, et columnæ atque parastatæ. Hinc adeò istis Heroibus sacra illa fames, et cupiditas, et ardor, et pericula, et lues, et dissidia, et cædes, et moræ atque ambitus itinerum. Hoc nempe illud erat ad cujus famam universa Græcia aures arrigeret; hæc illa præda, quam jam animo atque oculis destinaverant, quæque istos patriis sedibus excitos ad terram inhospitam mitteret. Sed fabularum satìs est; omnia enim persequi infinitum sit. Quamobrem manifestò hinc liquet, singulas gentes mediterranei maris accolas navium inventionem sibi vendicare conatas esse, aut singularia sua beneficia et pericula fabularum involucris posteritati commendare studuisse. Et quo firmiùs ea hominum animis infigerent, non puduit eos sideribus et cœlo sua nomina inscribere. Illic enim nobis Aries, Taurus, Pegasus, Cete, Argo, navium nomina, totidem harum expeditionum testes refulgent, quorum æternis ignibus et fulgore Phœnices, Cretenses, Corinthii, Thessali industriam suam posteris testatam fecerunt. Et sanè, quàm certum est, ab his singulis navium alias atque alias formas ad expeditiorem cursum, aut onerum subvectiones, aut mercium exagôgas, esse excogitatas, quemadmodum

—— etiàm quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiàm augescunt: nunc addita navigiis sunt
Multa:

tàm indubitatum quoque nobis est, primam navis fabricam à Noacho, Dei ipsius jussu, ejus podismum et spatia metante fuisse institutam. Cum enim humanum genus à majorum suorum institutis discessisset, et, deserto divini numinis vero et legitimo cultu, ultimam improbitatis et scelerum omnium lineam transiliisset, neque concionantem monentémque Noachum audiret: sed divini senis monitis insupèr habitis, etiàm in dies in pejus ruerent, et ab omni virtute pedem retrò referrent: tunc demùm, tanquam malo inveterato, et rebus desperatis, Deus ipse, ut hanc improbitatem æternis tenebris damnaret, Noachum ad ναυπηγίαν instruxit, et quemadmodum unumquodque fieri, et mundi depositum custodiri, vellet, ostendit: quæ animantia in semen reservari: quótque singulorum generum in arcam admitti: ubi, et quemadmodum stabulari oporteret, edocuit. Seculum integrum duravit ea navigii molitio, quam à formâ κιβωτον, Arcam, dicimus. Corporaturam et arcæ modum Deus quoque ipse præscripsit. Trecentorum, inquit, cubitorum esto arcæ longitudo, quinquaginta latitudo, et triginta altitudo ejus; amplissimo sanè et maximo spatio; ut podismus ejus è longitudine et latitudine major sesquijugero Romano deprehendatur. At forsàn hominibus quibusdam nimiùm curiosis, quósque divina opera ad humani cerebri normam exigere nihil pudet, ista minus fidei habere videantur, si hanc molem ad nostri ævi navigia conferamus; et partium symmetria insupèr haud satìs ad istam consuetudinem apta. Atqui ludibria regum in mari lascivientium, qui triremes lusorias et cubiculatas exstruxerunt, satìs supérque fidem facient. Hi enim, isto exemplo haud dubiò incitati, eam fabricam sunt æmulati: nam et hæc arca quoque à profanis scriptoribus literarum monumentis fuit celebrata; si quid Josepho credimus, qui Berosi Chaldæi, Hieronymi Ægyptii, Mnaseæ, Nicolai Damasceni, aliorúmque complurium autoritatem appellat. Atque hinc factum

De arcâ Noachi.

[illegible], quod Ptolemæus Philadelphus (qui studiosissimè munificentissimum [illegible] librorum maximâ impensâ conquisitis, instruxit) ad [illegible] divini operis maxima naviga construxerit. Memoriæ enim proditum est, eum omnes, qui ante se fuerant reges, navium copiâ et magnificentiâ superasse; inter quas ceteris præstabant [illegible] [illegible], [illegible], [illegible] [illegible]. Sed et Ptolomæus Philopator, hujus nepos, navium magnitudine eum longè superavit. Unius autem mensuram è [illegible] Athenæus ita expressit: [illegible] Φιλοπάτωρ, [illegible] πηχῶν, [illegible] ἀπὸ πρώρας εἰς πρύμναν, [illegible] πηχῶν. *Ptolomæus Philopator navem quadraginta ordinum construxit, longam ducentos et octoginta cubitos, latam intrà forum octo et triginta, altam ad acrostolion usque octo et quadraginta, à puppi autem summâ ad mare usque cubitos tres et quinquaginta*; cùm in mari cursum [illegible], recipiebat remiges quater mille et amplius, ministros quadringentos, milites classiarios ferè ter mille, præter aliam hominum turbam sub transtris, et [illegible] commeatum maximum; materies ad hanc unam comportata satìs fuisset [illegible] quinquaginta. Idem Philopator aliam quoque locavit [illegible], quæ in Nilo navigaret, θαλάμηγον cubiculatam, longitudine dimidii stadii, qui sunt pedes trecenti, latitudine cubitorum triginta, altitudine ferè quadraginta, reliquum porrò ornatum, partium singularum dispositionem et commemorationem ibidem videto. Verùm has omnes facilè superaverit Hieronis Syracusanorum tyranni navis illa, ἧς Ἀρχιμήδης ὁ γεωμέτρης ἦν ἐπόπτης, cui faciundæ Archimedes erat præfectus; ejus molis amplitudinem et fabricam Moschion integro libro huic rei dicato explicavit; trecentis enim operis fabricam, præter administros, tractantibus, ad eam faciundam sexaginta triremium materia fuit congesta; et navis corporatura ita intùs distincta, et in suas sedes tributa, ut remigibus, nautis, militibus, vectoribúsque reliquis recipiundis cuique sua loca, et sua receptacula essent assignata. In hâc eâdem navi erant præterea varia cœnacula, cubicula, ambulationes, horti, piscium vivarium, equilia, Scholasteria, Veneris templum, balnea, clibani, culinæ, molæ, et alia compluria: et hæc intùs quidem. Insuper navis ipsa ferreo vallo circumdata; et turribus octo, duabus in puppi, totidem in prorâ, reliquis autem in lateribus dispositis munita; super navi [illegible] murus erat cum propugnaculis; et in muro, turribus, ac carchesiis per totam navem multæ machinæ bellicæ erant dispositæ: et inter reliquas una, quæ saxum trecentarum librarum, atque sagittam duodecìm cubitorum ad [illegible] pedum intervallum vibraret; et ne omnia nimìs scrupulosè [illegible], lectorem ad Athenæum remittam, unde plura ad satietatem et [illegible] de hâc eâdem navi sigillatìm tibi petere licebit; et quidem ita, [illegible], sed castelli, aut urbis, vel insulæ alicujus descriptio [illegible]:

——— pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tantâ mole viri turritis puppibus instant.

[illegible] Syracusanam [illegible] Romani etiàm superavisse videntur fabricatis [illegible] ab Alexandriâ ad Ostiam usque transvehendos. Super omnia (inquit

De magnitudine et [illegible] Philopatoris [illegible]

De magna [illegible] Hieronis [illegible] Syracusanorum regis.

Plinius lib. 36, cap. 9,) accessit difficultas mari Romam devehendi, spectatis admodùm navibus. Divus Augustus priorem advexerat, miraculísque gratiâ Puteolis navalibus perpetuis dicaverat; sed incendio consumta est. Divus Claudius aliquot per annos asservatam, quâ Cajus Cæsar importaverat, omnibus quæ in mari visæ sunt mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere exædificatis, productam Ostiam, portûs gratiâ mersit. Rem navalem de navium generibus, partibus, ornatu, armamentis satìs spisso volumine prosecutus est Lazarus Baysius, vir doctissimus; sed, ut ipse sibimet haud usquequaque satisfecisse videtur, ita non pauca ad accuratiorem judicii limam studiosius, credo, lector exigi postulabit. Maximè in biremium et triremium descriptione, et illis quæ triginta, quadraginta, aut quinquaginta ordinum altitudine consurgunt. Sed cum et hanc controversiam felicissimâ et eruditâ manu explicaverit vir summus, et verè unicus nostri seculi Phœnix, Josephus Scaliger, totum locum, atque adeò illustrem illam eclogam huc transcribere, in tuam gratiam, non pigebit: dignus enim est, qui non uno tantum in loco legatur.

Igitur prima triremis, sive τριήρης, (inquit) Corinthi fabricata est. Anteà enim longis navibus tantùm utebantur. Prima longa navis fuit ea, quæ Argonautas vexit, ut Plinius, et alii ferè omnes veteres scribunt. Nos hodiè id genus *Galeas* vocamus, et primùm illud nomen obtinuit adhuc vigente imperio Constantinopolitano. In Tacticis enim legimus, Γαλαίας μονήρια. Nostræ enim Galeæ, et veterum naves erant μονήρεις, hoc est, uno versu remorum agitabantur. Quemadmodum enim πύργος μονήρης, διήρης, τριήρης, à numero tabulatorum dicitur, qui aliter πύργος μονόστεγος, δίστεγος, τρίστεγος, ita et ναῦς μονήρης, διήρης, τριήρης dicta, quæ totidem, ut ita loquar, tabulatis constabat, ac proinde totidem utrinque ordinibus remorum. Quum igitur differentiam navium longarum constituat numerus ordinum, primæ in usu fuerunt, quæ unum tantùm remorum versum habebant. Duplex verò earum constituitur differentia, à numero remorum, et à numero ordinum. Quæ à numero remorum dicuntur, earum nomen terminatur in ορος, εἰκόσορος, τριακόντορος, τετταρακόντορος, πεντηκόντορος. Quæ vero à numero versuum, in ηρης, μονήρης, διήρης, τριήρης, τετρήρης, πεντήρης. Vetus auctor Τακτικων ad calcem Æliani: ἡ τριακόντορος καὶ τεσσαρακόντορος, καὶ πεντηκόντορος λέγεται κατὰ τὸ πλῆθος τῶν κωπῶν. ἡ μονήρης, καὶ διήρης, καὶ ἐφεξῆς, κατὰ τοὺς στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις. Sed scito, citrà εἰκόσορον non posse componi nomen: hoc est: non dicebatur quot remorum, sed quot scalmorum esset, siquidem minus haberet, quam vicenos remos. πεντεκαιδεκάσκαλμος, δωδεκάσκαλμος, ut δωδεκάσκαλμος πάκτων Straboni. Est enim σκαλμὸς, paxillus, ad quem alligatur remus. Quarè aliâ mente, ut multa, Æschylus Persis νῆες τρίσκαλμοι pro triremibus dixit: quum τρίσκαλμος ναῦς tantum dici possit quæ trinis remis agitatur. Erat et alia differentia, ut naves citrà magnitudinem alicujus, eæ dicerentur ἡμιόλιαι, ut quæ inter magnitudinem τριακόντορου, ea dicebatur ἡμιόλιος τριακόντορος, major quidem quàm εἰκόσορος, minor verò quàm τριακόντορος. Sic quæ citrà magnitudinem τριήρους, ea dicebatur τριήρης ἡμιολία. Nam τὸ ἡμιόλιον continet assem cum semisse. Ideò τριηρημιολία erat magnitudine της διήρους, et prætereà aliquanto amplior. Neque verò necesse erat exactè dimidium accedere, non magis quàm in semitonio musico. Tonus enim bifariàm non dividitur. Quare ut dicitur ἡμιόλιος ποῦς, sic eâdem con-

Excerptum ex Josephi Scaligeri Libro de Navibus Veterum.

constructione ἡμιολία τριήρης, sed non eâdem ratione. Nam potiùs dici debuerat διήρης ἡμιολία, utpote quæ magnitudine διήρης esset, aut aliquanto major. Sed usus obtinuit, ut potiùs vocaretur ab eâ, à cujus magnitudine proximè abesset, quam ab illâ quam non solùm æquabat, sed etiàm aliquâ parte superabat. Hæ igitur naves εἰκόσοροι, τριακόντοροι, πεντηκόντοροι, solæ Græcis in usu primùm fuerunt, ad illud usque tempus, quod hìc ab Eusebio determinatum, earúmque ἡμιόλιαι.

Hujus generis inventum Sidoniorum est. Græci ante expeditionem Jasonis Colchicam id genus non tentârunt. Unde ejuscemodi naves Σιδώνιαι Græcis dicebantur. Euripides in Helenâ:

Χώρει σὺ, καὶ ναῦν τοῖσδε πεντηκόντορον
Σιδωνίαν δὸς, κὠρετμῶν 'επιστάτας.

Eas diximus esse, quas Græci μακρὰς ναῦς, nos *Galeas* vocamus: qualis Jasonia, quæ πεντηκόντορος fuit, ut ex numero Argonautarum constat. Nam ipsi Heroës fuerunt αὐτερέται, ut omnes sciunt. Unde Sereno Poëtæ Hercules dictus Semiremex Hercules: quod remex quidèm inter Argonautas esset, sed imperitus, et ei muneri ineptus. Alii plures Argonautas numerant. Ideò μείζονα πεντηκοντόρου τὸν Α'ργὼ fuisse necessarium est. Quarè Theocritus in Hylâ τριακοντάζυγον Αργὼ dixit: hoc est, ἑξηκόντορον, utrinque tricenis remigibus impulsam. Earum navium, quæ pluribus remorum versibus agebantur, videtur Trieres prima fuisse quæ dicta, ut monuimus, à numero tabulatorum, κατὰ τοὺς στίχους τούς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλους, ut ait ille vetus Scriptor Τακτικῶν: secundum versùs alium alii juxta altitudinem incumbentes. Itaque imus ordo erat propior aquæ, supremus propior foris navis, medius inter imum et supremum. Remiges imi versûs θαλαμῖται dicebantur, medii ζυγῖται, supremi θρανῖται. Eadem etiam navigia dicuntur μόνοκροτα, δίκροτα, τρίκροτα. Biremis, sive διήρης, vel δικρότα formam ex veteribus marmoribus exhibet Baysius, et fatetur, eam esse veram Biremem veterum, in quâ superior ordo ternis, inferior binis instructus est. Deinde alias duas Biremis formas profert, quarum uterque ordo quaternis remis constat. Eam, ut diximus, veram Biremem credit esse. Sed (vide desultoriam sententiam) propositâ etiam formâ veræ Triremis, ex veteribus Romæ monimentis, eam negat esse Triremem. Certè si altera, ut ipse fatetur, est Biremis, quæ duplici remorum versu instructa est; hæc ab eâdem causâ Triremis fuerit, quæ triplici remorum versu prædita est. Et contrà, si hæc non est Triremis, falsò altera Biremis ab eo credita est. Quis putaret tanto viro tam absurdam sententiam excidisse? Causam jocularem prætendit. Quia, inquit, si θρανῖται, ζυγῖται, θαλαμῖται, à triplici versu remorum dicti sunt, quomodo in διήρει erunt, quæ duos tantùm versus habet, aut in πεντήρει, ἑξήρει, ἑπτήρει, quæ plures? Huic objectioni et puer occurrerit. Nam in διήρει, infimi et superiores sunt tantùm, nulli autem medii. Neque enim necessarium est ut ζυγῖται adsint; sed cum sunt plures ordines duobus, semper medii sunt ζυγῖται, infimus et supremus ordo sunt semper θαλαμῖται et θρανῖται. Si major pars Romanorum, prænomen, nomen, et agnomen habebant, non ideò sequitur, ut omnes habeant agnomen. Quid ergò adfert novi ad illam objectionem? Rem ridiculam ac tanto viro indignam. Dividit navem in tres partes: à prorâ, ad malum: à malo, ad initium ἀκροστολίων: inde ad summum aplustre. A prorâ ad malum θρανίτας vocat; hinc ad initium

Lazari Baysii errores super hâc materiâ.

ἀκροστολίων

ἀκροςολίων ζυγίτας: inde, ad ſummum apluſtre, θαλαμίτας. Si exemplum Aretalogorum, qui pro commentariis Tomorum decurias edunt, ſequi vellem, neque temporis, neque chartæ ſatìs eſſet tam puerili commento confutando. Sed omiſſis ineptiis, auctor Ταχτικῶν dixit, κατὰ ςίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις; non dixit, κατὰ μῆκος. Quid melius ejus commentum eluſerit? ςίχοι κωπῶν aliud eſt quam κῶπαι, et κατὰ τὸ ὕψος, quam κατὰ τὸ μῆκος. Vegetius de quinqueremibus: *Quinos ſortiuntur remigum gradus.* Si gradus, ergò in altum, nòn in longum. Virgilius:

——— triplici pubes quam Dardana verſu
Impellit, triplici conſurgunt ordine remi.

Sanè conſurgentes remorum ordines dici non poſſunt de longitudine; longitudo jacet, altitudo conſurgit. Idem dixit Lucanus de Quadriremi, lib. iii:

Quóſque quater ſurgens extructi remigis ordo
Commovet, et terno conſurgunt ordine remi.


Extructos remigum ordines non poſſumus accipere in porrectum. Hoc enim non eſt extruere. Illuſtris locus ille eſt in excerptis Memnonis apud Photium: καὶ [illegible]ς μία ἡ λεοντοφόρος καλουμένη, ἡ μεγέθους ἕνεκα καὶ κάλλους ἥκουσα εἰς θαῦμα. ἐν ταύτῃ γὰρ [illegible] ἄνδρες ἐκαλοῦντο οἱ χοι ἤρεττον, ὡς ω' ἐκ θατέρου μέρους γενέσθαι, ἐξ ἑκατέρων δὲ χιλίους καὶ ἑξακοσίους. Octeres dicta ab octo utrinque remigum verſibus, centenis remigibus in unoquoque verſu: ut eſſent in univerſum bis octingenti remiges, hoc eſt, mille et ſex centum. Quid diceret hic Bayſius? Octingentos homines in porrectum eſſe? Aut quid ſi non hoc? Sed illarum navium prodigioſa moles. Ad Triremes, ordinarium et uſitatiſſimum navigium, revertor. Thranitarum, id eſt, ſupremi ordinis, remos longiores eſſe, quàm Zygitarum, et horum, quàm Thalamitarum, ratio convincit. Thalamitæ enim erant propiores aquæ, inde eorum remi κολοβοὶ erant et non longi. Lucanus in deſcriptione της ἐξήρους: *Summis longè petit æquora remis.* Intelligit Θρανιτικὰς κώπας, quas omnium longiſſimas fuiſſe neceſſe eſt. Itaque οἱ θρανῖται majus ſtipendium percipiebant, quam Thalamitæ. Scholia Βατράχων· οἱ δὲ θαλάμακες ὀλίγον ἐλάμβανον μισθὸν, διὰ τὸ κολοβαῖς χρῆσθαι κώπαις παρὰ τας ἄλλας (τρεῖς) τάξεις τῶν ἐρετμῶν, ὅ τι μᾶλλον ἐγγὺς εἰσι τοῦ ὕδατος. ἦσαν δὲ τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετμῶν, καὶ ἡ μὲν κάτω θαλαμῖται, ἡ δὲ μέση ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω θρανῖται. Hactenùs benè. Reliqua, quæ ſequuntur, ſunt illis optimis Scholiis infarcta ex fæce ſequioris ſeculi. Θρανίτης οὖν ὁ πρὸς την πρύμναν, ζυγίτης ὁ μέσος, θαλαμίτης ὁ πρὸς πρῷραν. Ad hoc præclarum oraculum Bayſius pellibus incubuit ſtratis, ſomnóſque petivit, unde illud ſomnium ſuum protulit de nave in porrectum trifariàm dividendâ. Illa quoque vox (τρεῖς) incluſa virgulis delenda. Hæc ſunt quæ de triremibus, et aliis veterum navibus in tabulata conſurgentibus, brevitèr ac pro loco et temporis anguſtiis dicere potuimus. Duo ſunt quæ ſatìs mirari non poſſum; primum, quomodo ſinguli homines tam longos remos moliri poſſent, quum in noſtris Galeis alitèr fieri videamus. Nam in illâ immani octere, cujus Memnon mentionem facit, ſinguli homines tantùm remis adhibebantur. Et tamèn quo plures erant verſus, eo longiores ſupremi ordinis remos fuiſſe neceſſe eſt. Alterum, cujus non mediocris nobis inceſſit admiratio, eſt moles Hexerum, Decerum, et, ut Plinius ſcribit, etiam illarum quæ ad 15, 20,

De Triremibus.

30, 40 et 50 ordines remorum conſtructæ ſunt. Quomodo, inquam, eas in bello moliri poſſent? Unde tam longæ arbores, quæ Thranitarum remis ſufficerent? Virgilius quoque, quas in pugnâ Actiacâ egit Antonius, Cycladibus comparat. Idem etiàm ſcribit Dio. Si verum erat, quod Bayfius ſomniavit, remos in porrectum expanſos, non in altitudinem extructos fuiſſe, quo major remorum numerus foret, eo expeditior fuiſſet Triremis Bireme, Tetreres Triere, Penteres Tetrere; atqui contrarium apparet ex Floro, libro 4. de illis Cycladibus Antonii et Auguſti in claſſe Actiacâ: Nobis quadringentæ non amplius naves, ducentæ, non minus, hoſtium; ſed numerum magnitudo penſabat: Quippe à ſenis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, caſtellorum et urbium ſpecie non ſine gemitu maris et labore ventorum ferebantur; quæ quidem ipſis moles exitio fuit. Cæſaris naves à triremibus in ſenos, non amplius, ordines creverant. Itaque habiles in omnia, quæ uſus poſcebat, ad impetus, et recurſus, flexúſque capiendos, illas graves et ad omnia præpeditas, ſingulas plures adortæ miſſilibus ſimùl cum roſtris, adhoc ignibus jactis, ad arbitrium diſſipavêre.

Finis excerpti ex Joſephi Scaligeri libro.

Biremium duarum et unius triremis quarum hic fit mentio, et quæ omninò veræ ſunt effigies, huc ex Bayfio tranſtuli, ut inde faciliùs navium pluribus ordinibus ſurgentium molem et altitudinem animo complecti, et cogitatione aſſe-



qui

qui possis. Unum illud quod Scaliger miratur, quomodo singuli homines tam longos remos moliri possint, ex Athenæo disces. in descriptione navigii à Philopatore Ptolemæo constructi ordinum quadraginta. Κώπας δὲ Θρανιτικὰς ὀκτὼ καὶ τριάκοντα πηχῶν τὰς μεγίστας, αἳ διὰ τὸ μόλυβδον ἔχειν ἐν τοῖς ἐγχειριδίοις καὶ γεγονέναι λίαν εἴσω βαρεῖαι κατὰ τὴν ζύγωσιν, εὐήρεις ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς χρείας. *Remos autem in supremo thranitarum versu habebat longissimos octo et triginta cubitorum, tractatu et remigio in usu faciles, quia ob plumbum manubriis additum introrsùm graves essent*; quare pondus hoc, tanquam in librili, cujus hypomochlium in scalmo sit, expeditum præstitit remorum usum. Neque tamen inficias iverim, haud absurdum mihi videri, binos remiges longissimis his remis admotos. Singulos quidem certè remum suum duxisse in longâ navi, ex Argonautarum historiâ discere est.

Dant remo sua quisque viri, dant nomina transtris.
Hinc lævum Telamon pelagus tenet, altior inde
Occupat Alcides aliud mare, cetera pubes
Dividitur. ———

Verum in tantâ mole et tot ordinibus exstructâ illud non satìs assequor, quomodo non altiùs multo assurrexerit ordo quadragesimus: ut thranitæ summi remo octo et triginta cubitorum, cujus pars non exigua intrà navem versaretur, mare potuerit suis palmulis ferire. Quod ut clarius sit, posito abaco calculum ex sententiâ subducam; hominis sedentis altitudo ab osse sacro ad summum capitis verticem, si modicè sumas, tribus pedibus Romanis non est minor: atqui ut assurgas, et totis viribus remum adducas, id fieri nequit, si in solo cruribus porrectis sedeas, sed aliquâ altitudine sedilis opus est: hinc igitur pes unus accedat positæ altitudini, fiunt pedes quatuor; tantóque, ut minimum, intervallo transtrorum altitudo disjungi debuit. Certè si quatuor pedes quadragies sumas, conflantur pedes centum sexaginta, quo intervallo thalamitæ remiges infimi à thranitis, qui in summo remigabant, inter se essent disjuncti; et propterea altitudo, quæ à foris, et summis lateribus navis ad mare pertingeret, longè adhuc major. Atqui constat, hanc navem à summâ puppe ad mare usque, tantùm fuisse altitudine cubitorum trium et quinquaginta, in lateribus autem multò minore. Ipse Athenæus ab acrostolio octo et quadraginta prodidit; qui sunt pedes tantum duo et septuaginta; ut neutiquam dimidiam habuerit eam altitudinem, quam nos suprà conflaveramus. Thalamitæ quidem certè aquæ propiores brevioribus utebantur remis, et ideò pars remi interior à scalmo ad manubrium minor; et ipsi in transtris, navis lateribus admodum vicini, quantòque unusquisque ordo altiùs assurgeret, tantò longioribus remis opus erat, et ad eos moliendos longiore radio, et à scalmis distantia; ut hoc ordinum recessu aliquid loci accesserit inferioribus, et inferioris remigis vertex absque impedimento altitudine pectus proximè superioris ordinis æquare potuerit; maximè verò cum alternis ordinibus ita remi sint ordinati, ne omnes ad lineam per sua columbaria, tanquam ad perpendiculum exerti sibi mutuò essent impedimento: sed alternis, ut in possessionem hoc pacto, quasi in vacua maris parte mitterentur: ídque ita in plurium ordinum navibus accuratè observatum, vero videtur non absimile; quousque remus superior et longior, inferiori et breviori,

Conjecturæ de remigum in diversis ordinibus positorum distantiis à se invicem.

viori, poſt tertium aut quartum ordinem ampliùs impedimento eſſe non poſſet. Et navis quidem ipſa hoc pacto tanto remigio, et tot navalibus pedibus concitata, per mare curreret. Illud verò etiàm ad hujus nodi ſolutionem palmarium mihi videtur: quantumnam ejuſdem ordinis remigum, ipſorum inter ipſos intervallum fuerit: ea enim res percepta omnem caliginem amolietur. Ego quidem illud obſervaviſſe mihi videor, tranſtra non in omnibus navigiis eodem intervallo diſſita; ſed alibi longiùs, alibi propiùs, à ſe mutuò abfuiſſe. Idque duarum argumento oſtendam. Philopatoris quadragintaremis à remigibus quater mille incitabatur; qui numerus per quadraginta diviſus dabit centum remiges; et ideò in ſingulis lateribus quinquaginta in porrectum. Atqui hoc navigium erat 280 cubitos longum, qui ſunt pedes 420: hinc ob carinæ, et tropidis curvaturam in prorâ et puppe deducantur 60, reliqui 360 per numerum remigum 40 diviſi, dabunt ſingulis ſpatium moliendo remi manubrio pedum novem: cum corporis et brachiorum agitatio in adducendis remis quatuor, aut quinque pedum interſcalmio duntaxàt opus habeat; ut intermedium hoc ſpatium ordini proximè inferiori lucro accedat. Atque ita in ſequentibus porrò, alternis vicibus intervalla paria aptando, ut ſuprà in expreſſâ hâc triremi. Atqui quod omnem fidem excedat, neque ſatìs ipſe demirari poſſum; certum eſt, thalamitas à thranitis, imos, inquam, remiges à ſupremis, in hac teſſeraconteri minùs quadraginta pedum altitudine fuiſſe disjunctos. Idque ex poſitâ remorum longitudine ita diſces. Concipiamus enim triangulum rectangulum æquicrurum, cujus hypotenuſa, ſeu latus recto angulo ſubtenſum, ſit ipſa remi exerti longitudo; altitudo verò ſit diſtantia à ſcalmo ad mare. Conſtat enim, minore ad navis latus angulo remi molitionem fore nimìs moleſtam, et minùs tractabilem. In hoc igitùr triangulo quadratum à crure uno, eſt dimidium quadrati ab hypotenuſâ; remi autem longitudo quidem univerſa datur cubitorum duo de quadraginta, qui ſunt pedes ſeptem et quinquaginta: atqui pars remi a ſcalmo ad manubrium, ut commodè agitari poſſit, aliquâ longitudine eſſe debuit, et ad reliquam partem exertam rationem habere tolerabilem. Eſto itaque ea pars pedum tantum ſeptem, ut quàm parciſſimè ſumamus; reliquum igitùr à ſcalmo ad mare fuerit pedum quinquaginta; cujus quadratum ſit 2500, dimidium 1250, latus hujus dimidii eſt minus ſex et triginta pedibus. Ita ſinguli ordines, cum ipſâ tranſtri craſſitie, vix unius pedis intervallo fuerint diſjuncti: ut nefas ſit credere, hæc tranſtra à remigibus occupari potuiſſe, niſi forsàn eos, tanquam haleces et ſalſamenta, ſtipatos intelligas. Jam reliquum porrò ſpatium ſuprà thranitas ad navis fores, in triclinia, cubicula, et alios uſus tributa, ac diſtincta, non erit dubium ei, qui Athenæi verba paulo diligentiùs examinare animum induxerit. Neque adeò ex his difficultatibus et anguſtiis, in quas remorum menſura nos præcipitavit, ullâ ratione extricare poſſumus, niſi illud concedamus, ordines imos rarioribus remis incitatos, ſummos pluribus; et prætereà aliquam partem receſſui ſuperiorum concedamus, qui longioribus manubriis ſuos remos molirentur. Et hâc viâ illud effici video; has quippe moles duntaxàt ad oſtentationem, nulli uſui fuiſſe inſtitutas; quod utique veriſſimum eſt. At in Memnonis apud Photium excerptis, octeris Ptolemei Cerauni faciliorem habet explicationem, ubi numerus remigum etiàm longè major

eſt,

eſt, centum nempe in verſum: fuítque hic remigum numerus, illius duplus ſeſquialter; et ideò tranſtrorum in altitudine diſtantia paulo fuerit major: namque hic ob multitudinem remigum, inferiores ſuperioribus omninò ſubjici potuerunt. Si in hac octeri diſtantia tranſtrorum in ſingulis ordinibus, et eodem verſu tanta fuiſſet quanta in illâ teſſaraconteri, longitudo hujus octeris facilè 900 pedes exæquaſſet, et plus quam dupla fuiſſet illius; quod nemini ſano in mentem venire poſſe crediderim. Quamobrem ut hujus longitudo minor quidem fuerit, quam illius quadraginta ordinum, ita diſtantia inter thalamitas imos et thranitas ſupremos, non fuerit multò minor quadraginta pedibus, ut inter ſingulos ordines quinque pedum diſtantia intercedat. Sin autem minus aſſumas in ſingulis, et huic ſummæ ideò aliquid quoque decedet. At illa teſſaraconteris tantùm oſtentationis gratiâ facta videtur, cum vix loco ſuo moveretur, ſed tanquam ædificium ſuis ſedibus affixum hæreret. Magìs mihi placet Archimedis induſtria, qui tantùm vigintiremem in majore navigio conſtruxerit, quæ adeò vaſtâ mole etiam concinniùs expeditiúſque per mare curreret: nam Syracuſis Alexandriam uſque, onuſta frumento, Ptolomæo regi dono miſſa eſt. Verùm, ut diximus, iſta ludibria tantùm fuerunt regum in mari laſcivientium. Atque hæc quidem de inventoribus, magnitudine, et formâ navium nunc utcunque dixiſſe ſufficiat. Supereſt ut doceamus quemadmodum curſum in medio mari regere inſtituerint, **De modo navigandi, ſeu curſum navis dirigendi, apud Veteres.**

ἄλοκα Νηρείας ϖλακὸς
τέμνοντες, ἀϛιβῆ πόρον·

ubi nulla pedum apparent veſtigia, quæ ſecuti optatum iter tenerent, et ad portus deſtinatos pervenirent. Certè ſatìs conſtat, iſtos, qui primi maria tentare auſi fuerunt, ei ſe timidè commiſiſſe; et tantùm littora legere, neque è terrarum conſpectu longiùs uſquam diſcedere ſolitos: ut nocte ingruente in portum ſe reciperent, vel in ipſo adeò littore quieſcerent.

Sol ruit intereà, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos, paſsímque in littore ſicco
Corpora curamus: feſſos ſopor occupat artus.

Quem morem etiamnum hodiè maris mediterranei accolæ uſurpant, ut ingruente tempeſtate ſeſe versùs littora recipiant: cum longè ſatiùs ſit tunc navem alto mari committere, ubi nulla fluctuum agitatio reciproca, quibus naves quaſſantur et diſſolvuntur. Poſtquam verò etiàm animis ad omne periculum obfirmatis, in alto mari, in navis foris et tranſtris pernoctari cœptum: tunc etiàm tempora navigationi opportuna notata, et legibus ſunt definita; ut quâ anni tempeſtate naves ſubduci, et quâ in mare deduci expediat, omnibus definitè conſtaret. Ita in actis Apoſtolicis cap. 27, vides navigationis tempus periculoſum et intutum cenſeri: καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηϛείαν ἤδη ϖαρεληλυθέναι; *cum*, inquit, *jam eſſet navigatio periculi plena, quod tempus jejunii* (Judaici intellige, decimo die menſis ſeptimi, quo hircus expiationis offerebatur) *jam præteriiſſet.* Eandem anni tempeſtatem in animo habebat poëta, apud quem Dido Æneam fugam molientem increpitat:

Quin

Quìn etiam hyberno moliris sidere classem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,
Crudelis. Quid ? si non arva aliena domósque
Ignotas peteres ? et Troja antiqua maneret ?
Troja per undosum peteretur classibus æquor ?

Nam ex die tertio Iduum Novembris, usque in diem sextum Iduum Martiarum, [id est, à die duodecimo Novembris ad diem nonum Martii,] maria claudebantur. Et Plinio quoque, Ver navigantibus aperit maria, cujus in principio Favonii molliunt cœlum. Atque tunc, ab eo primùm tempore, mundus in suas plagas accuratiùs quoque tributus. Ut enim decempedatores in terrâ, agris ad ferri rigorem degrumandis, meridianum et cardinem suum designant : ita miseri isti ἁλίπλαγκτοι, undarum fluctibus jactati, signa quærere instituerunt, unde certi essent quas in oras, quo ventorum flatu ferrentur, ut ita regionum maritimarum situm feliciùs explicarent. Et ad hanc rem, quoque cœlum ipsum in partes vocatum, ut ad siderum conspectum cursus regerent.

——— felix stellis qui segnibus usum,
Et dedit æquoreos cœlo duce tendere cursus.

Phœnices in hâc arte præcellebant.

Phœnicum ea fuit potissimùm gloria, qui, ut reliquos mediterranei maris accolas, mercaturæ et mercium exportandarum studio superaverunt, ita sideralis scientiæ gloriâ illis quoque præcelluerunt. Et Solem quidem interdiù secuti meridiei et septentrionis plagas haud difficultèr dispunxerunt : noctu autem à Cynosurâ toti pendebant, quod ea à polo proximè abesset. At Græci latiore specie contenti Helicen spectabant ; id enim passìm à veteribus inculcatur,

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graja carina notet.

Hujus fiduciâ freti Tyrii Sidoniíque non solùm omnia maris mediterranei littora frequentare, et ultimas ejus oras adire ; sed etiàm coloniam extrà ejus ambitum in mari Oceano Gades deducere ausi sunt. Horum operâ hominum sapientissimus, rex Solomon, quoque usus, aurum longè ex Ophiro per mare Æthiopicum petere instituit, et suam classem cum classe Hirami Tyriorum regis conjunxit : atque id quidem tanto tempore ante, quàm Taprobane insula in illis partibus vel fando Occidentalibus esset inaudita, quibus post tot secula in admiratione fit, Annii Plocami libertus tempestate in eam delatus. Hæc igitur observatio multa sæcula duravit, ut, religiosè vitatâ tempestatum sævitiâ, tantùm commodis istis mensibus navigarent. At piratæ primum coëgêre mortis periculo in mortem ruere, et hiberna experiri maria. Nunc idem avaritia cogit. Neque id solùm in mari mediterraneo, cujus spatia brevissimo tempore percurri possunt, (In tantum, ut Galerius à freto Siciliæ Alexandriam septimâ die pervenerit, Bibulus sextâ, ambo præfecti ; æstate verò proximâ Valerius Marianus ex Prætoriis senatoribus, à Puteolis nono die lenissimo flatu, ait Plinius ; Itémque Gadibus extrà Herculis columnas Ostiam septimo die, à citeriore Hispaniâ quarto, à Provinciâ Narbonensi tertio, ab Africâ altero perveniri, idem prodit:) Sed in ipso

ipſo vaſtiſſimo Oceani maris æquore; ubi ſæpe aliquot menſium ſpatio nullæ uſquam

Apparent terræ; cœlum undique, et undique pontus:

ubi illæ veterum de cœlo obſervationes non ſint unius aſſis; cum ventis ſævientibus mare ex imo fundo vertitur, coactóque in nubem aëre, nimbis diem ipſum involventibus: et maximè quoque, cum

——— jam occidente ſole inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctíſque et nimbûm occœcat nigror.

Cum, inquam, cœci in undis oberrant, neque in illo vaſto gurgite viæ amplius meminiſſe poſſunt; ſed modò huc, modò illuc è deſtinato curſu undarum impetu excutiuntur. Hìc igitur non cœli, non ſiderum conſpectus miſeros illos vel filum juvat; longè alio ξεναγώγῳ utique opus eſt, quíque ſemper et quoties libet, non è cœlo illis petendus ſit, ſed ante oculos et in manibus verſetur; unde, ſi nihil aliud, ſaltèm iſtud cognoſcant, quam in plagam navis curſum moliatur: et quamvis vel undarum vi, vel ventorum furentium fragore et impetu, è recto curſu diverſi ferantur, ut nihilominùs ipſis è veſtigio conſtet, in quam plagam puppis ſe verterit, et quanto impetu concitata feratur. Neque verò iſta operoſiùs erant inveſtiganda, aut extrà hunc globum longiùs petenda; quin ipſa Terra parens nobis duntaxàt erat adeunda, illi vota faciunda, quæ ubique nobiliſſimo magnete fœta, ſponte eum è viſceribus ſuis in lucem profert, ut ejus ope, tanquam prætorio edicto, humanum genus in ipſius Maris poſſeſſionem quoque mittatur. Magnetem enim lapidem ferrum trahere, et eam vim attrahendi in ipſum ferrum transfundere, jam olìm pro miraculo à veteribus fuit jactatum. Plato in dialogo cui Io nomen fecit, ὥσπερ ἐν τῇ λίθῳ, ἣν Εὐριπίδης μὲν Μαγνῆτιν ὠνόμασεν, οἱ δὲ πολλοὶ, Ἡρακλείαν. καὶ γὰρ αὕτη ἡ λίθος οὐ μόνον αὐτοὺς τοὺς δακτυλίους ἄγει τοὺς σιδηροῦς, ἀλλὰ καὶ δύναμιν ἐντίθησι τοῖς δακτυλίοις ὥσπερ δύνασθαι ταὐτὸν τοῦτο ποιεῖν ὅπερ ἡ λίθος, ἄλλους μὲν ἄγειν δακτυλίους, ὥστε ἐνίοτε ὁρμαθὸς μακρὸς πάνυ σιδηρίων καὶ δακτυλίων ἐξ ἀλλήλων ἤρτηται. πᾶσι δὲ τούτοις ἐξ ἐκείνης τῆς λίθου ἡ δύναμις ἀνήρτηται. *Sicuti*, inquit, *contingit in illo lapide, quem Euripides cognominavit* Magnetem, *plerique* Herculeum. *Is enim lapis non modò annulos ferreos attrabit, ſed et ipſis annulis vim communicat idem faciendi ac ipſe lapis, ſcilicet, attrahendi alios annulos, ita ut longiſſima quidem ferreorum annulorum ſeries continuo quodam textu aptetur: ad quos omnes ex illo lapide vis ea omninò pertinet.* Hoc quidem noviſſe haud magni noſtra intererat: at ejus cauſam intellexiſſe, id demùm erat naturæ fontes recluſiſſe; unde rei maritimæ et majeſtas et uſus in ſolidum dependet. Et, cum illa magnetis efficientia naturalis attrahendi ferri, tot jam ſæculis ab hominibus induſtriis notata et obſervata ſit; nemini tamen omnium, ἔτι κατ᾽ ὄναρ, in mentem venit, aliam longè nobiliorem hujus efficientiæ cauſam ſubeſſe. Haud multa ſæcula fluxerunt ab eo tempore, cum in Campaniâ, vel caſu, vel ſtudio, notatum ſit, Magnetem lapidem ſuos habere polos, quos ad mundi polos convertat; ut et axem ſuum contrà mundi axem parallelo ſitu dirigat: neque ita tantùm ferrum aut chalybem ſuâ contagione inficere, ut id ſolum affectet, ut illa ad ſe trahat: ſed multo maximè, ut vim illam per terrena omnia diffuſam illi indat, quâ affecta ipſa acus ſemper ſuam

De lapide qui *magnes* nominatur, et qui ferrum ad ſe trahere obſervatur.

Quadringentis ferè abhinc annis in Campaniâ compertum eſt, acum ferream à magnete vivificatam ſeſe ſemper verſùs Septentrionem convertere.

ſuam lineam meridianam ſpectet. Sagaciſſimum naturæ myſtem eum fuiſſe oportet, cujus operâ et induſtriâ illud primum è ſecretioribus naturæ adytis erutum et inveſtigatum ſit. Attamen tanti inventi gloria nullo titulo ſingulari circumfertur; cum minimarum et viliſſimarum rerum inventores ſuos habeant titulos, ſua nomina, hâc autem in re adeò illuſtri, vel ſolo gentis titulo contenti ſimus oportet. Et quemadmodùm olìm Phœnices audiebant multarum rerum inventores, cœli, ſiderum, navigationis, multarùmque aliarum artium: ubi tamen non homini, ſed genti ea gloria adſcribitur: idem hìc uſu venit, ut non quis, ſed quâ è gente, auctor et inventor adeò divinæ rei exſtiterit, nobis duntaxàt conſtet. Vix anni quadringenti ſunt, ex quo adeò memorabile et maritimis itineribus opportunum inventum erutum, et in lucem prolatum ſit. Acus enim pyxidulâ coërcita, ſuo ſeſe imperio et ductu in eandem plagam conſtantèr vertit: ut vix ullis aut ſolis, aut ſiderum, obſervationibus ſit opus; quin adeò ita mundi plagæ multo accuratiùs inveſtigantur, dum ſolam pyxidulam quæ ante pedes eſt, identidem inſpectant, ejúſque ductum accuratè obſervant.

——— Nec te ſpectare Bo-oten,
Aut Helicen jubeo, ſtrictúmque Orionis enſem.
Hâc duce carpe viam.———

Hujus enim fiduciâ Itali primum, inde etiam Hiſpani, externa maria tentare, atque inſulas Canarias in Oceano, haud longè ab Africano littore diſſitas, frequentiùs adire inſtituerunt: cum ipſis perpetuò in manibus, et ante oculos verſaretur norma, ſecundùm quam curſûs plagas regere poſſent; neque id ſolùm ad tetrantes, ſed octantes quoque, et alias minores peripheriæ partes. Quod ab eo tempore factitari cœptum, quouſque proceſſerit, haud facilè dixerim. Iſtud quidem memoriæ proditum eſt, Navarchum illum (cujus tamen nomen non magìs ſcitur, quàm illius, qui omnium primus in acum nauticam magnetis vim verſoriam transfundere docuit) qui primus mortalium ultrà Maderam, in oppoſitum Americæ littus, ſive ſtudio, ſive caſu fatis ita ducentibus, penetraverit, ejúſce rei adumbratam quandam cognitionem habuiſſe. Hic enim â primâ uſque adoleſcentiâ diverſis, et, proùt tunc tempora ferebant, longinquis, navigationibus exercitus, in Americam ſecundo vento delatus; inde converſo curſu in Maderam navi appulsâ, pluſculis è ſuorum numero deſideratis: ipſe quidem redux, ſed adeò longo itinere fatigatus, et labore fractus, apud Chriſtophorum Columbum, natione Ligurem, qui tum illìc chartis hydrographicis delineandis vitam tolerabat, expiravit; lineamentis itineris ex pyxide, et parallelo loci ipſi indicato. Hæc incitamento poſteà Columbo fuêre, ut tanto ſtudio, manibus pedibúſque obnixè eam expeditionem urgeret; ut nihil non moverit; et apud Ligures ſuos Genuenſes; et apud Henricum ſeptimum Angliæ; Alphonſum quintum Luſitaniæ; Ferdinandum et Iſabellam Caſtiliæ reges; donec tandem, propoſiti tenaciſſimus, apud Caſtiliæ reges voti compos factus, Terras iſtas, tanto tempore noſtro orbi ignotas, primus detexit, et opes immenſas, miſeris et pacatiſſimis illis mortalibus ereptas, in Hiſpaniam intulit. Sed pari planè cum ſociis ſuis fato uſus, quo Argonautæ, è Colchide opima ſpolia referentes, defuncti ſunt.

Navarchus quidam (cujus nomen ignoratur) annis aliquot ante Columbum, in Americæ littus ſecundo vento eſt delatus.

Quiſquis

Quiſquis audacis tetigit carinæ
Nobiles ramos, nemoríſque ſacri
Pelion denſâ ſpoliavit umbrâ:
Quiſquis intravit ſcopulos vagantes,
Et tot emenſus pelagi labores,
Barbarâ funem religavit orâ,
Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata Ponti
Jura piavit.

Sed ad generoſum Andaluſium illum Navarchum revertamur. Omninò extrà controverſiam ſtatuendum eſt, eum pyxidis nauticæ adminiculo, anguli inclinationis æſtimatione, et confecti itineris conjecturis uſum; locorum ſitum, terrarúmque, ad quas appulerat, diſtantiam utcunque expreſſiſſe. Quod acûs magneticæ directionem adhibuerit, id quidem ex nupero tum invento aſſumptum: itineris autem confecti quantitas ex curſûs velocitate aut tarditate jam olìm quoque in mari æſtimari ſolita. Diſertè id monet Herodotus in Melpomene, ubi Euxini ponti cum longitudinem tum latitudinem nobis hâc ratione definit: Τῦτο μὲν, φησὶ, μῆκος εἰσὶ ςάδιοι ἑκατὸν καὶ χίλιοι ϗ μύριοι. το δὲ εὖρος, τῇ εὐρύταΐος αὐτος ἑωυτοῦ, ςάδιοι διηκοσιοι ϗ τρισχίλιοι. *cujus longitudo eſt undecim millium ac centum ſtadiorum: latitudo (quâ mare latiſſimum eſt) trium millium et ducentorum.* Inde menſuræ rationem explicat: Μεμέτρηται δὲ ταῦτα ὧδε· νηῦς ἐπίπαν μάλιςα κη καΐανύει ἐν μακρημέρῃ ἡμέρῃ ὀργυιέας ἑπΐακισμυρίας, νυκτὸς δὲ, ἑξακισμυρίας. ἤδη ὦν ἐς μὲν Φᾶσιν ἀπο τοῦ ςόματος (τῦτο γάρ ἐςι τοῦ Πόντυ μακρόταΐον) ἡμερέων ἐννέα πλόος ἐςὶ, καὶ νυκΐῶν οκτὼ. αὗται ἕνδεκα μυριάδες ϗ ἑκατὸν οργυιέων γίνονται· ἐκ δὲ τῶν οργυιέων τυτέων, ςάδιοι ἑκατὸν ϗ χίλιοι καὶ μύριοί εἰσι· ἐς δὲ Θεμίσκυραν τὴν ἐπὶ Θερμώδονΐι ποΐαμῷ ἐκ τῆς Σινδικῆς (καὶ τῦτο γάρ ἐςι τῦ Πόντυ εὐρύταΐον) τριῶν τε ἡμερῶν καὶ δύο νυκτῶν πλόος. αὗται δὲ, τρεῖς καὶ τριήκονΐα μυριάδες ὀργυιέων γίνονται, ςάδιοι δὲ, τριηκόσιοι καὶ τρισχίλιοι. *Hæc autem* (inquit) *ita dimenſa ſunt. Navis, diebus longioribus, ut ſummum quotidiè conficit ſeptuaginta millia orgyiarum (orgyia autem ſex pedibus definitur) noctu verò ſexaginta millia. Itaque è faucibus Ponti ad Phaſin (hoc enim eſt Ponti longiſſimum) novem dierum eſt navigatio, et octo noctium, quæ fiunt mille centum ac decem millia orgyiarum, hoc eſt, ſtadiorum undecim millia ac centum. E Scyticâ autem uſque ad Themiſcyram, quæ eſt ſuprà flumen Thermodontem (hic namque ponti latiſſimum eſt) trium dierum duarúmque noctium eſt navigatio, quæ fiunt orgyiarum trecenta ac tria millia, hoc eſt, ſtadiorum tria millia ac trecenta. Hunc igitùr in modum Pontus, ac Boſporus, et Helleſpontus à me dimenſa ſunt.* En, ſuam fidem interponit ſcriptor accuratiſſimus et fide digniſſimus, non appellat alienam. Vides, eum interdiù aërem laxare, noctu contrahere: quod facilé intelliges, ſi cogitabis, parallelum quadrageſimum quintum per medium Ponti exporrigi, longiſſimæ autem diei ſpatium eſſe horarum quindecim cum ſemiſſe: noctíſque breviſſimæ, octo cum ſemiſſe; et quamvis pro ventorum vario impetu naves modo vehementiùs, modo tardiùs impellantur, Herodotum tamen hìc mediocritatem quandam videmus in horum intervallorum æſtimatione ſecutum. Haud abſimili ratione diſtantiam inter Rhodum et Alexandriam quinque ſtadiorum millibus, inter Carthaginem et Lilybæum (quæ Straboni quidem ſtadiorum mille quingenta ſunt, Polybio autem mille tantùm,)

tantùm,) æſtimatam fuiſſe haud eſt dubium; atque alia hujus generis apud Hiſtoricos et Geographos infinita, quæ tamen omnia nimiùm lubrica et præter veritatem ab iis ita definita eſſe experientia convincit. Certè, quamdiù pyxidis nauticæ directio illis ignota fuit, tamdiù quoque illos omnes ratio benè divinandi fugit; hoc enim verè erat Ariadnes filum, quo ſolo et curſus, et curſuum menſuræ reguntur.

——— Nullis iterata priorum
Janua difficilis, filo eſt inventa relicto.

Si βηματίςαι, menſores itineris Alexandri magni, Diognetus et Beton, eam rationem eſſent ſecuti; et poſteà Romani decempedatores, Zenodoxus, Theodotus, Polyclitus, Julii Cæſaris autoritate miſſi ad menſurandum orbem univerſum Romano imperio ſubjectum, magna veteris Geographiæ lux hoc labore acceſſiſſet; ſed iſta tantùm optantium vota ſunt. Nunc autèm porrò videamus quemadmodum ex harum duarum collatione paulatìm præcepta et regulæ regendis navium curſibus ſint expreſſæ. Initio quidem certè minùs commodè, quamdiù tabulas hydrographicas ita in plano deſignabant, ut omnes parallelos æquales inter ſe conſtituerent. Tunc enim minorum parallelorum partes, ſimilibus majorum partibus pariare erat neceſſe; inde cum ſub aliquo parallelo decurrerent ſingulis gradibus, tantum tribuebant quantum uni gradui in maximo circulo cedit; qui error ut ſit intolerabilis; ita haud ſcio, an Ptolomæus ipſe in ſuâ Geographiâ non perinde in Geometriæ principia impegerit, cum in globo tanquam in plano ſubtenſam angulo recto è crurum quadratis eruerit. Mitto ejus hallucinationes fædiſſimas, in crurum quantitate æſtimandâ. Sed iſte error non ipſi; verùm imperitis itinerum βηματίςαις imputandus ſit; à quibus ille ſua derivavit et exſcripſit, gratâ poſteritatis memoriâ. Illi quidem navarchæ, quamdiù intrà ſextum et triceſimum parallelum ſubſiſterent, vix quintâ gradûs parte à verâ menſurâ abiverunt diverſi: et quanto propiùs ad æquinoctialem accederent, tanto minus erroris illorum conjecturis objiciebatur. Atque hic loxodromiarum angulos per rectangulorum triangulorum calculum exprimere occeperunt; ubi illud quidem hactenùs rectè: Loxodromiæ cujuſcunque ſegmenta intrà parallelos æquidiſtantes eſſe æqualia; et contrà; æqualem parallelorum circulorum diſtantiam, ſimilium Loxodromiarum ſegmenta ubique æqualia intercipere. Hæc, inquam, quamvis verè et legitimè ab ipſis notata; et ab hydrographis eam artem tractantibus, ex triangulorum planorum doctrinâ non nimìs accuratè in quaſdam tabellas ad hanc rem factas eſſent congeſta, quas etiàm poſteà Nonius ad incudem revocavit: non potuerunt tamen iſtæ hâc viâ legitimè demonſtrari, quia tabulis geographicis planis, et quadriangulis illis eſſent inædificatæ. Ita quod dicitur ἡ τύχη τὴν τέχνην ἐγέννησε. hâc leviculâ occaſione, tanquam naſcentis artis ſcintillâ quâdam, ſub annum 1530 excitatus ἀκριβέςατος ille Petrus Nonius, hanc eandem doctrinam paulo altiùs arceſſere inſtituit; et à pſeudographiâ, ad Globum ipſum provocavit. Qui, pro ſummâ ſuâ induſtriâ, et quâ pollebat ingenii dexteritate, multa eruit; et multis acceſſionibus priorum inventa collocupletavit. Neque eum piguit earum linearum affectiones, quas navium curſus ad ξιναγωγίαν magneticæ acûs deſcribunt, libro ſingulari explicare. Poſt, elapſis aliquot annis, libro ſecundo de Regulis et Inſtrumentis

De chartis Hydrographicis.

Petrus Nonius chartarum Hydrographicarum doctrinam emendat et promovet.

ſtrumentis eadem multo fuſiùs deſcripſit, et harum linearum proprietates accuratiùs eſt perſecutus. Etſi in iis non rarò ἠςόχησε, minùs feliciter verſatus ſit; et in magnas difficultates ſeſe præcipitaverit. Palmarium illud, quod Loxodromiam noſtram (Rumbum ille, voce ſuæ gentis, appellat) lineam verè ἑλικοειδῆ, et totam ſui generis, in Sphæricorum triangulorum τεμάχια, et minutal quoddam conciderit. Atque hinc ei prima illa mali labes, ut non rarò hic ceſpitet; neque hanc navem ſalvam in portu collocârit. Quæ res tantum abeſt ut ejus exiſtimationi quicquam derogaverit; ut etiàm alios ſummos viros ad eadem accuratiùs indaganda excitaverit; qui in rebus Mathematicis, et Geographicis verſatiſſimi, ſingulari ſtudio Loxodromiarum affectiones et uſum ſcrutati ſunt. Ejus enim explicationem rebus maritimis non utilem ſolùm; ſed quàm maximè neceſſariam viri perſpicaces facilè intelligebant; quantùmque ab hujus abſolutâ et caſtigatâ cognitione abeſſent, tantum quoque à perfectione ſuâ hanc ipſammet ſcientiam abeſſe, non erant neſcii. Et eas quidem lineas alii in globo ipſo; alii in chartis Hydrographicis, quæ analogiâ ſuâ globo propiùs reſponderent, ſummâ curâ deſignare et exprimere ſunt conati. Quâ in re vir doctiſſimus, et Geographorum diligentiſſimus, Gerardus Mercator, non inutilem operam poſuiſſe meritò ſit judicandus; et poſt eum in Belgio etiam complures alii, et Stevinus quoque noſter in ſuo magno opere. In Galliis quoque haud pauci. In Britanniâ reliquis diligentior Edowardus Wricht; inde Robertus Hues, et, ut audio, alii complures. Sed, ut ingenuè dicam quod res eſt, Coronis, et operis perfecta delineatio deſiderari videbatur; ut quantum Loxodromiæ ſingulæ, et earum partes in longitudine evariarent ad minutum conſtaret; neque id rudi, aut mechanicâ aliquâ factione; ſed accuratiore illâ, quæ minimas quaſque particulas ſubducit. Id igitur ſecutus ſum, ut ab ipſo fundamento omnia ſolidè demonſtrata, et ordine conſtituta nunc demùm exhiberem. Utque momenta demonſtrationum noſtrarum non minus haberent firmitudinis, quam uſus facilitatis in praxi quotidianâ; antilogias hic omiſimus, quæque ipſam artem ſpectant duntaxat tractavimus: illas tamen in Scholis Hiſtiodromicis poſtmodùm relaturi. Tu iſta, benevole lector, tuo uſui et commodo, ad Divini nominis gloriam, quo omnia noſtra ſtudia contendunt, dicata habeto.

Et, poſt eum, Gerardus Mercator, et alii.

Ὑμεῖς δ' ἤπειροί τε, καὶ εἰν ἁλὶ χαίρετε νῆσοι,
Ὕδατά τ' Ὠκεανοῖο, καὶ ἱερὰ χεύματα πόντου.

Claudianus Præfatione Libri I.

INventâ secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas;
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias.
Tranquillis primùm trepidus se credidit undis,
Littora securo tramite summa legens.
Mox longos tentare sinus, et linquere terras
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatìm præceps audacia crevit,
Cordáque languentem dedidicêre metum,
Jam vagus irrupit pelago, cœlúmque sequutus,
Ægæas hyemes, Ioniúmque domat.

Plinius, Lib. xxxvi. Cap. 16.

A Marmoribus digredienti ad reliquorum lapidum insignes naturas, quis dubitet in primis Magneten occurrere? Quid enim mirabilius? Aut quâ in parte major naturæ improbitas? Dederat vocem saxis, ut vidimus responden-tem homini, imò verò et loquentem. Quid lapidis rigore pigrius? Ecce sen-sus manúsque tribuit illi. Quid ferri duritiâ pugnacius? Sed cedit et patitur mores: trahitur namque à magnete lapide, domitríxque illa rerum omnium materia ad inane nescio quid currit: atque, ut propiùs venit, assistit, tenetúrque et complexu hæret. Sideritin ab hoc alio nomine appellant, quidam Hera-clean. Magnes appellatus est ab inventore (ut autor est Nicander,) in Idâ re-pertus. Nam et pasśim invenitur, ut in Hispaniâ quoque. Invenisse autem fertur, clavis crepidarum et baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret.

WILLEBRORDI SNELLII

T I P H Y S;

SIVE

DE HISTIODROMIÂ,

LIBER PRIMUS.

PROPOSITIO I.

Histiodromice est doctrina, quæ lineæ designatæ à navis cursu, magneticæ acûs ductum secutæ, affectionem et proprietates interpretatur.

NAVIS enim magister ita cursum dirigit ad optatam metam ut semper linearum certi generis ductum sequatur: et ad hanc rem acûs magneticæ situm atque angulos quos cum instituto cursu comprehendit sedulò speculatur. * Acum enim chalybeam, super axiculo cui incumbit mobilem, magnetis lapidis polo notio eâ parte tingi, quâ Boream spectet; et contrà ejusdem lapidis polo boreo, quâ Notum sit designatura; vulgò, opinor, jam notum est; atque ita eam semper boream inter et meridiem exporrigi. Sed tamen hunc situm aliquando à naturæ legibus descissere, ídque occultâ et latente aliquâ de causâ, jam diù experientia comprobavit. Quamvis enim magnes, ubi liberè movetur, insitâ sibi vi et facultate suis polis mundi polos affectet, et parallelo ad mundi axem situ, suo axe exporrigatur; ut ita quoque acus legitimè tincta secundùm locorum meridianos sese dirigat: nihilominùs ab hâc cujusque loci meridianâ lineâ, modò à septentrione in ortum, aliquando etiàm in occasum, aliquot gradibus declinare, deprehensum est. Et cum rectà Septentrionem spectat, eam χαλυβόδειξιν, tanquam situm acûs legitimum et proprium vocant: cum autem evariat, χαλυβόκλισιν ejus, ad meridianam lineam inclinationem indigitant. Ita in insulâ *Corvo* (insularum Flandricarum unâ, medio ferè inter

* Guliel. Gilbert, lib. 3. cap. 4.

Europam

Europam et Americam ſpatio) rectà ſeptentrionem ſpectat. Unde à quibuſdam ideò meridianorum omnium initium ab hoc meridiano derivatur. Hinc verſùs Americam contendentibus apex boreus in occaſum declinat: contrà Europam aut Africam petentibus in ortum evariat, nempe Pleimudæ in Angliâ 13. gr. 24. ſcr. et Londini 11. gr. 30. ſcr. Hic apud nos Amſterodami 9. gr. 30. ſcr. ut vulgò exiſtimatur, atque ita alibi alitèr. Verùm hujus evariationis Synopticam tabellam videto in Limeneuretică ingenioſiſſimi Stevini; cujus etiàm cauſas perveſtigare et eruere ſubtiliſſimè conatus eſt Guilielmus Gilbertus, Anglus, peculiari volumine huic rei dicato.

PROPOSITIO II.

Legitimus acûs magneticæ ſitus eſt loci linea meridiana.

HIC duntaxàt eſt legitimus, reliqui νοθεύοντα, ſunt adulterini. Nam occulta et inſita illa magneti mens, ita ejus molem agitat, ut polos ſuos et axem contrà Terræ axem parallelo ſitu exporrigat, niſi faſcinatione quâdam naturali ab hoc ſitu, etiàm aliquantum modò huc, modò illuc, avellatur; et ita acus quoque alibi alitèr atque alitèr declinet; cujus inclinatio tamen ſedulò eſt corrigenda; ſi ejus ductum cum fructu ſequi velimus.

PROPOSITIO III.

Acûs magneticæ ſitus adulterinus inventâ chalyboclìſi emendatur.

CUM incertum ſit, acûs-ne rectà ſeptentrionem et meridiem ſpectet, an verò ab eo ſitu in diverſum abeat, id ex ortu et occaſu ſolis ſiderûmque, aut eorum utrimque altitudinibus æqualibus, aut aliis modis denique deprehendi poteſt; et in mari ſolet: inde enim conſtat, an acus magnetica ita porrigatur ut peripheriam ab utriſque his lineis comprehenſam in plano horizontis biſecet; aut quantum à medio in partem alterutram diſcedat. Unde legitimus meridiani ſitus, et acûs magneticæ in alterutram partem aberratio definiatur. Sed iſta in ſcholas noſtras rejecimus; quas vide.

PROPOSITIO IV.

Hiſtiodromia eſt circularis, aut Loxodromica.

VELIFICATIONIS curſum, quâ acûs magneticæ ductum ſequitur, ita natura compoſuit, ut vel circulum aliquem, vel helicem quandam lineam delinearet, quam ab obliquitate *Loxodromiam* dicimus.

PRO-

PROPOSITIO V.

Velificationis cursus circularis efficitur, cum rectà in Septentrionem et meridiem, aut ortum et occasum dirigitur.

PROPOSITIO VI.

Velificationis cursus in Septentrionem aut meridiem maximi circuli peripheriam describit.

HOC enim pacto Navis semper in eodem meridiano versatur, sub quo inde ab initio constiterat. Atqui meridianos esse maximos Sphæræ circulos, nemini ignotum est qui vel levitèr Sphærica degustaverit. Itaque

Quindecim maritimorum milliarium cursus hic poli Elevationem uno gradu evariat.

Quantum maritima sive nautica milliaria à terrenis et horariis distent, infrà propositione octavâ dicetur.

PROPOSITIO VII.

Velificationis cursus in ortum aut occasum, sub æquinoctiali quidem maximum circulum, extrà autem eum semper huic parallelum describit.

SIT enim linea carinam mediam à prorâ ad puppim secans, quam τρόπιδα Græci vocant, meridiano quocunque in loco perpendicularis, tum quidem navis rectà ortum aut occasum spectabit. Et id meridiani segmentum cum carinâ sibi affixâ super mundi polis circumduci intelligatur; hæc igitur carinæ linea cum omnibus meridianis quibus hoc segmentum congruet angulos normales comprehendet: Et ita circuli peripheriam describet. Idem autem efficietur si carina suo produóque motu progressa per omnes meridianos normalitèr, hoc est, ortum aut occasum spectans, transeat. Hæc enim linea illi congruet. Et propterea, cum sub æquinoctiali erit motûs principium, per æquinoctialem decurret, donec, obito orbe, ad idem punctum unde moveri cœperat iterùm restituatur. Vel, si extrà æquinoctialem à quocunque tandem loco incipiat moveri, et conversionem motúmque continuet donec ad idem punctum revertatur, hoc utique ductu omninò istius loci parallelum designabit. Itaque constat Propositio.

PROPOSITIO VIII.


Sub æquinoctiali quindecìm milliaria maritima unum gradum in longitudine evariant; in parallelis etiàm amplius.

MENSURA itineris in rebus maritimis utramque facit paginam: abſque hâc enim omnis illorum Hydrographice, et portuum, littorum, atque inſularum deſcriptio, manca eſſet atque mendoſa. Sed neque hæc cum fructu in cenſum vocari poſſet, niſi ejuſdem comparatio cum terreni globi perimetro, aut perimetri parte aliquâ, legitimè cognoſcatur. Hinc adeò vulgò factum eſt ut gradum in partes ſecarent, et eas *milliaria*, pro ſuæ gentis conſuetudine, vocarent. Angli enim tot milliaria in gradu maximi circuli ſtatuunt quot in eo ſcrupula contineantur, nempe ſexaginta. Nos hâc in re Germanicam et aliarum gentium conſuetudinem ſecuti ſumus, qui quindecìm milliaria uni gradui attribuunt, cum Anglicum milliare quartam Germanici milliaris partem tantùm conficiat. Luſitani quidem, Nonio teſte, milliaria $16\frac{2}{3}$, alii $17\frac{1}{2}$, uni gradui imputant. Nos alibì docuimus 19 milliaria horaria uno gradu contineri, quorum ſinguli habeant pedes noſtros Rhiinlandicos 18000; quæ *terrena* indigitare ſoleo: vel 15 milliaria, ut ſingulis cedant pedes 22800, quæ tunc *maritima* voco; quia horum uſus à nauticâ conſuetudine non recedit. Unum tantùm addidi, quod palmarium erat, menſuræ modum *. Sed hâc de re vel ſcholas, vel Eratoſthenem noſtrum Batavum videto. Quot autem milliaria uni gradui in dato quocunque parallelo cedant, ſequenti theoremate ita explico.

PROPOSITIO IX.

Quemadmodùm radius ad ſinum complementi Latitudinis dati paralleli, ita quantitas unius gradûs in maximo parallelo, ad quantitatem unius gradûs in dato.

QUOT milliaria uni gradui in ſingulis parallelis cedant, id hâc expoſitâ analogiâ invenitur. Sit enim *s r* mundi axis, *i e* meridiani et æquinoctialis communis ſectio, *u o* paralleli et meridiani: *i e* igitùr et *u o* erunt ſuorum circulorum diametri, *a e* et *y o* radii. Ut igitur *a e* ad *y o*, ita tota peripheria deſcripta ſuper *i e* diametrum, ad peripheriam ſuper *u o* deſcriptam. Sed ut tota ad totam, ita pars ad partem ſimilem. Ut igitur *ae* ſinus totus, ad *y o* ſinum complementi peripheriæ *o e*, quæ menſura eſt latitudinis; ita unius gradûs quantitas in maximo circulo, 15 milliaribus marinis æſtimata, ad numerum milliarium quæ continentur in uno gradu dati paralleli. Ut, ſi quæratur magnitudo unius gradûs ſub parallelo 52 gr. 10 ſcr. complementum hujus eſt 37 gr. 50 ſcr. et ejus ſinus 61337; fiat igitur, ut 100000 ad 61337, ita 15 ad $9\frac{200}{1000}$ pro quantitate milliarium in uno gradu ſub dato parallelo comprehenſorum. Itáque



* Seu methodum inveniendi longitudinem unius gradûs in aliquo Meridiano.

PRO-

PROPOSITIO X.

Quadrans sinûs complementi dati paralleli per radium divisus dabit quantitatem unius scrupuli.

CUM enim per propositionem antecedentem sit, ut radius ad sinum complementi dati paralleli, ita 15 milliaria (tot enim milliaria in maritimis semper pro maximi circuli gradu assumimus) ad numerum milliarium unius gradûs in dato parallelo. Atqui, cum ita $\frac{1}{4}$ milliaris fiat $\frac{1}{60}$ gradûs, et ideò sit mensura unius scrupuli in maximo gradu; erit quoque ut radius ad sinum complementi dati paralleli, ita $\frac{1}{4}$ milliaris ad mensuram scrupuli in dato parallelo; vel per interpretationem transpositis terminis, ut radius ad quadrantem sinûs complementi dati paralleli, ita 1 milliare ad mensuram unius scrupuli *. Sit idem exemplum, quod priùs: sub parallelo 52 gr. 10 scr. cujus complementi sinus datur 61337: ejus pars quarta 15334 per radium divisa dabit $\frac{15334}{100000}$ milliaris, spatium unius scrupuli, sive minuti, in dicto parallelo. Et sanè id cum antecedente epilogismo congruit. Pars enim sexagesima de $\frac{9200}{10000}$ est $\frac{9200}{600000}$, seu $\frac{1533}{100000}$; quemadmodum suprà expressimus. Atque ita absque ullâ circuitione unius scrupuli, sive minuti, spatium in quocunque parallelo exhiberi potest.

PROPOSITIO XI.

Ut radius ad quadruplum secantis dati paralleli, ita milliaria quotcunque data ad numerum scrupulorum, sive minutorum, ipsis in eo debitorum.

CONVERSUM est utriusque antecedentis, si finem spectes. Illìc enim è datis gradibus aut scrupulis, sive minutis, milliaria ipsis congrua quæruntur. Hìc contrà è datis milliaribus scrupulorum numerus ipsis sub dato parallelo debitus inquiritur. Est enim demonstratum propositione nonâ et decimâ, radium ad sinum complementi dati paralleli esse, ut milliaria quotvis datæ partis in maximo circulo ad milliaria simili parti in dato parallelo respondentia. Et inversè igitur, ut sinus complementi dati paralleli ad radium, hoc est, ut radius ad secantem dati paralleli, ita milliaria in eodem parallelo ad milliaria simili peripheriæ in æquinoctiali debitæ. Porrò autèm, cum quindecìm milliaria gradum impleant; ideò quadruplum horum milliarium exhibebit numerum

* Erit enim ut radius ad quadrantem sinûs complementi dati paralleli, ita pars quarta unius milliaris ad quartam partem mensuræ scrupuli in dato parallelo, atque ideò unum milliare ad totam mensuram scrupuli in dato parallelo. Ergò si productum ex multiplicatione quadrantis sinûs complementi dati paralleli in unum milliare, hoc est, iste ipse quadrans, dividatur per radium, quotiens erit æqualis mensuræ unius scrupuli, sive minuti, in dato parallelo, seu numerus milliarium in uno scrupulo, sive minuto, ejusdem paralleli contentorum.

ſcrupulorum, ſive minutorum, ipſis in æquinoctiali debitorum, atque idem minutorum numerus in dato parallelo ſimili peripheriæ quoque reſpondet. Exemplo res erit illuſtrior. Ut ſi quæram in ſexageſimo parallelo quot ſcrupula 15 nauticis milliaribus reſpondeant. Fiat ut 10,000,000 ad 80,000,000, quadruplum ſecantis graduum ſexaginta; ita 15 ad 120. Dicam igitur, in ſexageſimo parallelo 15 milliaria occupare ſcrupula 120, qui ſunt duo integri gradus; quod omninò verum eſt. Nam in hoc parallelo ſinguli gradus dimidii ſunt eorum qui in maximo continentur: Quia hujus ſinus complementi, nempe 30 graduum ſinus, dimidius eſt ſinûs maximi. Sin verò plura aut pauciora fuerint milliaria quam 15, veritas tamen eadem fuerit: ſunt enim milliaria milliaribus et ſcrupula ſcrupulis proportionalia. Terçera inſula, Açorum, ſeu Flandricarum inſularum, una, ſub parallelo 39, abeſt ab Uliſſipone, Hiſpaniæ emporio (qui ſub eodem quaſi parallelo ſitus eſt) 250 milliaribus; quæritur quantum ſit longitudinis intervallum. Quadruplum ſecantis dati paralleli eſt 514,703. quare fiat ut 100,000 ad 514,703. ita 250 milliaria ad 1286¾ ſcr. qui ſunt gr. 21. ſcr. 26¾. Tot igitùr gradibus Terçera occidentalior eſt Uliſſipone.

PROPOSITIO XII.

Ut radius ad quadruplum ſummæ ſecantium inter datos parallelos incluſivè comprehenſorum; ita datorum milliarium ſummæ pars quota iiſdem parallelis cognominis, ad ſummam ſcrupulorum longitudinis, quanta ſingulis dictis parallelis ex datis milliaribus accedit.

THEOREMA eſt ex antecedente planum et indidèm derivatum. Sunto milliaria 10 tribuenda parallelis 20 ſingulorum ſcrupulorum intervallo diſtantibus à gradu latitudinis 52do excluſivè. Sunt itáque hìc viginti circuli; propterea, ut ſingulis parallelis æqualem partem attribuam, fiet milliaris ½, et quia dimidium milliare in his omnibus non occupat æqualem ſcrupulorum numerum, ſed majorem in minoribus, minorem in majoribus, ideò ſigillatìm erit de ſingulis concludendum; ut radius ad quadruplum ſecantis 52 gr. 1 ſcr. ita ½ milliaris ad minuta in hoc parallelo ſibi debita. Et rurſùm, ut radius ad quadruplum ſecantis 51 gr. 2 ſcr. ita ½ milliaris ad ſcrupula ſua in iſto. Atque ita porrò ad ultimum limitem. Erit igitur per Compoſitionem proportionis arithmeticam, ut Radius ad quadruplum ſummæ omnium ſecantium, ita ½ milliare ad ſummam omnium ſcrupulorum, quantum ſpatii milliaris ſemiſſis in ſingulis occupat. Quemadmodum hìc vides.

Secantes.

Secantes.	gr.	fcr.
162487	52	1
162548	52	2
162608	52	3
162669	52	4
162730	52	5
162791	52	6
162852	52	7
162913	52	8
162974	52	9
163035	52	10
163095	52	11
163157	52	12
163218	52	13
163279	52	14
163340	52	15
163402	52	16
163463	52	17
163525	52	18
163586	52	19
163648	52	20

3423749
quadruplum 4

100000 13694996 ½ $\left.\begin{matrix}6847498\\100000\end{matrix}\right\}68\frac{47}{100}$

Ut quartus hinc detur 68 fcrup. 28½ fec. Tantum igitur fpatii data milliaria per fingulos 500 parallelos æqualitĕr tributa occuparent, in fingulis tamen fcrupulorum numerum inæqualem. Namque in primo parallelo, nempe 52 gr. 1 fcrup. milliare dimidium poffidet 3 fcr. $14\frac{98}{100}$ fec. in ultimo autem 3 fcr. $16\frac{38}{100}$ fec. quæ differentia, etfi in tantâ viciniâ exigua fit, in longiore intervallo admodùm magna exiftit. Dimidium enim milliare marinum fub æquinoctiali 2 fcrupula duntaxàt explet.

Atque ita unicâ multiplicatione, additis fecantibus, hoc opere defungeris. Sed tam multiplex additio, quæ femper pro ratione quæfiti denuò eft iteranda, plurimum habet tædii, ut vix operæ fit iftos labores fubire; et utilitas, quæ hìnc fperari poffit, ipfâ laboris ac moleftiarum mole obruta et tanquam oppreffa jaceat. Huic ut fubvenirem, quia ufus ejus perquàm neceffarius, et in hoc opere ferè eft perpetuus, Canonem conftruxi, ex additis fecantibus conflatum, progreffu per fingula quæque fcrupula continuo. Cujus ufus poftmodùm nobis erit longè commodiffimus in loxodromiarum calculo, et evariatæ longitudinis fpatio æftimando. Tabulam ipfam hìc fubjicio, cujus conftructio folâ additione conftat, ut nempe radius ipfe 10,000,000 ad fecantem unius fcrupuli 10,000,001 addatur, unde fumma conflatur 20,000,001; hæc ad fecantem 2 fcrupulorum 10,000,002 addita, dabit 30,000,003; et hic numerus cum fecante

cante 3 ſcrupulorum 10,000,004 compoſitus, conflabit 40,000,007, atque eo porrò ordine per ſingula ſcrupula ad extremum quadrantis limitem progrediendo. Ego hunc canonem ad ſeptuageſimum gradum produxi, qui ad uſum maritimum, (quem hìc potiſſimùm ſpectamus) ſatìs eſt; et, ſi ultrà tendas, non jam per ſingula ſcrupula tantùm, ſed per ſcrupulorum ſemiſſes, trientes, ſextantes, imò uncias, uſpiam eſſet progrediendum; denique, cum proximè polum acceſſeris, etiam per ſcrupula ſecunda aut tertia. Sed, quanquam ille labor et infructuoſus et inutilis ſit futurus; ſpecimen tamen aliquod hujus ἀκριβείας in ſcholis infrà exhibemus. Si cui libeat imitari, habet ubi otium ſuum ponat ſine damno: nos inſtituto noſtro inſiſtimus; et quo calculus iſte ſecuriùs ſubduci poſſet, et error certiùs deprehendi qui fortè nobis obrepſiſſet; bìs eundem ſubduxi, ſemèl ex tabulis ſecantium Thomæ Finckii, iterùm è tabulis Bartholomæi Pitiſci; ut, ſi quid vitii in ipſas fortè tabulas operarùm incuriâ irrepſiſſet, ex mutuâ collatione facilem haberet emendationem: cum Pitiſci notæ ſint etiàm èx opere Palatino expreſſæ; illæ autem Finckii aliæ ab his, et ante ſubductæ.

Tabellam ipſam in libri calcem rejecimus; cui titulum fecimus *Canonica Parallelorum*.

Verùm de conſtructione et ordine id monendus mihi es, me ab ipſo radio additionem ideò auſpicatum eſſe, quod ille ad ipſum æquinoctialem pertineat. Quia enim milliaria ſingula quatuor ſcrupula illìc occupant, etiam quadruplus milliarium numerus numerum ſcrupulorum ipſis debitorum definiet; et ita nobis eadem analogia redit, ut radius ad radii quadruplum, ita numerus milliarium ad ſcrupula congrua.

In graduum et ſcrupulorum notatione eum ordinem ſecuti ſumus, ut æquinoctiali circulo 1 præfixerimus tanquam omnium parallelorum primo principio; reliquos autem parallelos ordine ad hunc diſpunximus, ut unus gradus ſit ſexageſimus parallelus, quorum primus ſit æquinoctialis: ut ita parallelus qui per undeſexageſimum ſcrupulum educitur ſit nobis numerus ſexageſimus, et qui per ſcrupulum ſexageſimum, ſit primus et ſexageſimus, ſive 1 gr. 1 ſcr. quod ideò diſertis verbis exprimendum duxi, quia aliis canonibus hoc ſit diſſimile.

Atque hactenùs canon ipſe nobis fuit expreſſus: ſequitur ejus uſus, qui etſi ex ipſâ conſtructionis lege haud obſcurus eſſe poſſit, placuit tamen eundem hoc theoremate breviter complecti.

PROPOSITIO XIII.

Si incluſivè ab æquinoctiali parallelorum datorum initium ducatur, quadruplum numeri ultimo parallelo unitate aucto reſpondentis, ſecundum proportionis terminum explebit: ſin aliundè, ſed utrâque latitudine ſimili, differentiæ inter datos parallelos unitate auctos quadruplum: ſin diſſimili, parallelorum unitate auctorum ſummæ.

HIC tàbularum expoſitarum uſus eſt primus, ut inde terminus proportionis illius, quam 12 propoſitione expreſſimus, aſſumatur. Sed exemplis res

erit illuſtrior. Quæratur enim, quot ſcrupula longitudinis occupent 750 milliaria, ab æquinoctiali ad parallelum 44 gr. 59 ſcr. incluſivè, ut ſingulis parallelis æqualis milliarium portio attribuatur. Hìc erit tibi aſſumendus numerus canonicus è regione 45 gr. 30,311,462, nam quem nos vulgò dicimus parallelum 44 gr. 59 ſcr. is, ſi æquinoctialem annumeres, quod in iſtarum tabularum conſtructione eſt factum, fiet 45 gr. et comprehendet parallelos 2700. quadruplum porrò numeri aſſumpti eſt 121,245,848. Jam, milliarium datorum numerus per 2700 parallelos diviſus dabit ſingulis parallelis $\frac{750}{2700}$, hoc eſt $\frac{5}{18}$ unius milliaris. Atque hìnc proportio, ut 10,000 ad 121,245,848 ; ita $\frac{5}{18}$ ad 3367 $\frac{9400}{10000}$; tot igitur ſcrupula (qui ſunt gradus 56, ſcr. 7, ſec. 55,) data 750 milliaria, per expoſitos parallelos æqualitèr tributa, occupabunt. Si data milliaria in ſolo æquinoctiali fuiſſent menſuranda, expleviſſent tantùm gradus 50 ; aut, ſi in ipſo quadrageſimo quinto parallelo fuiſſent æſtimanda, hìc jam occuparent 70 gr. 42 ſcr. 38 ſec. : ut hæc per ſingulos intermedios parallelos diſtributio major ſit illâ quæ in maximo, minor hâc quæ in minimo, fuit propoſita.

Sunto jam iterùm à 35 gra. 58 ſcr. excluſivè uſque ad 51 gra. 59 ſcru. incluſivè (quæ ſunt ſcrupula ſive paralleli 960) milliaria 320 ita tribuenda ut ſingulis parallelis æqualis milliarium portio aſſignetur, nempe $\frac{320}{960}$ ſeu $\frac{1}{3}$; numerus itáque canonicus, qui pertinet ad 35 gra. 58 ſcru. unitate majorem, nempe 35 gr. 59 ſcr. 23,178,702, de numero canonico 52. 36,665,060 deductus, relinquet 13,486,358, cujus quadruplum 53,945,432. Erit itaque, quemadmodum radius 10,000 ad 53,945,432, ita $\frac{1}{3}$ ad 1798 $\frac{1810}{10000}$, qui ſunt gradus 29, ſcrupula 58, ſecunda 11.

Exemplum tertium eſto à parallelo auſtrino 36 incluſivè, ad parallelum boreum 52 incluſivè, et ſunto expoſita miliaria 4000, per ſingulos parallelos æqualitèr cædenda. Hìc quia numerus unitate augendus erit, ut ſint 36 gra. 1 ſcru. et 52 gra. 1 ſcrup. illi competit numerus Canonicus, 2319.3971. huic autem 3666.5060. ſumma 5985.9031 ; et cum in hoc utroque parallelus primus, ſeu æquinoctialis, ſit additus, efficitur in utroque addito, bis adhibitum ; qui tamen ideò non ſit ſubducendus ut utriuſque latitudinis reſpectu aſſumptus intelligatur, quemadmodum in uſu infrà planè liquebit. Hujus quadruplum 23943.6123. parallelorum autem numerus 5281, nempè 52 gra. 1 ſcr. et 36 gra. 1 ſcr. et quia bis iteratur æquinoctialis, fiunt 88 gr. 1 ſcr. ſeu ſcrupula 5281. ut ſingulis parallelis cedat $\frac{4000}{5281}$. milliaris pars quota : unde proportio, quemadmodum radius 10000 ad 23943.6124. ita $\frac{4000}{5281}$ ad minuta 18156$\frac{65}{100}$. qui ſunt 302 gr. 15$\frac{65}{100}$ ſcrup.

Debuiſſet quidem ex ipſo ſummæ quadruplo radii quadruplum ſemèl ſubduci, ſi tantùm ſingulis parallelis ſemèl velis imputare $\frac{4000}{5281}$ milliaris : ſed æquinoctialis ſibi bìs hanc partem poſtulat ; quod Loxodromiarum uſus et demonſtratio propoſitionis 25tæ poſteà comprobabit.

PRO-

PROPOSITIO XIV.

Datis evariatæ longitudinis gradibus et ſcrupulis, dabitur quoque menſura milliarium æqualitèr parallelis inter datos interjectis debita.

EST converſa antecedentis, et hìc alter noſtri canonis uſus eſt; quâ utrâque omnis Loxodromiarum utilitas clariſſimè illuſtratur. Conſtat enim ex ipſâ canonis ſtructurâ et propoſitione 12, eam eſſe rationem itineris per ſingulos parallelos æqualitèr tributi ad minutorum ſummam, in omnibus parallelis, quantum illud ſpatium occupat; quemadmodum 10000 ad quadruplum numeri canonici cujuſque loci (ut, puta, ab æquinoctiali ad parallelum 44 ſcr. 59 incluſivè), is locus itaque unitate auctus dabit gr. 45. et hìc erit ratio propoſita; ut 10000 ad quadruplum ſummæ tangentium 30,311,462, nempè 121,245,848: ergò ſi 1 milliare in ſingulis aſſumatur, erunt minuta 12124$\frac{58}{100}$ pro longitudinis evariatione. Et contrà igitùr, minutorum per omnes parallelos æquali itineris ſpatio attributorum ratio erit, quæ 12,124$\frac{55}{100}$ ad 1 milliare. Itáquè ſi minutorum numerus major minórve quæratur, utpote ſi aſſumantur evariatæ longitudinis minuta 1000, et quæratur itineris quantitas in ſingulis parallelis; erit, quemadmodum 12,124$\frac{58}{100}$ ad 1 milliare, ita 1000 ad $\frac{8248}{100000}$ unius milliaris; atque tantum itineris in ſingulis parallelis fuerit conficiendum, ut 1000 minuta longitudinis differentiam impleant, cujus veritatem per antecedentem propoſitionem viciſsìm è converſo experiri tibi liceat.

Si non ab ipſo æquinoctiali incluſivè initium aſſumatur, ſed intervallum parallelorum terminetur latitudinis affectione ſimili, aſſumatur differentia, et proportio inſtituatur ut priùs.


Sìn verò latitudo ſit diſſimilis, altera Borea, et Auſtrina altera, aſſumatur parallelorum ſumma, eáque quadruplicetur, et indè proportio inſtituatur ut ante.

PROPOSITIO XV.

Loxodromia eſt linea ἑλικοειδὴς *in terreni globi ſuperficie, quam ubique contingens recta linea cum omnibus meridianis per cuncta ejus puncta ductis æquales angulos comprehendit.*

SI quando navis rectâ in ſeptentrionem aut meridiem dirigitur, tum per meridianum, et ideò per maximum terræ circulum decurret. Cum autem rectà vel ortum vel occaſum petit, tunc cum omnibus meridianis, per quos fertur, angulum rectum comprehendere, et ideò aliquem parallelum ſuo curſu deſcribere, ſuprà docui. At verò cum alium quemcunque curſum, ab his duobus diverſum, tenebit, atque ad acûs magneticæ ſitum (qui tamen ante, ſecundùm æſtimatam χαλυβόκλισιν emendatus intelligatur) ita ſe componet, ut τρόπις navis, quæ per mediam carinam à prorâ ad puppim porrigitur, aliquem angulum,

ſum, et ſemper eundem cum omnibus meridianis quos ſecat comprehendit: tum quidem, quamdiù iſtum tenebit curſum, helicem lineam deſcribet, quales iſtæ ſunt, quas hìc in plano, ad eam formulam ut proximè expreſſimus; nempe *egbd*, et *eiou*; ubì *efqkb* æquinoctialem lineam, et *a* terræ polum notat; mechanicam ejus, tàm in globo quàm in plano, delineandi rationem in ſcholis dicturi. Hanc autem παρὰ τῆς τοῦ δρόμου λοξότητος, à curſûs obliquatione, λοξοδρομίαν voce Græcâ indigitamus; qui planè, ut diximus, circulus eſſe nunquam poſſit. Nam circuli ad meridianum aliquem obliqui, ſive majores ii ſint, ſive minores, ſemper alium atque alium angulum, eúmque varium et reliquis angulis inæqualem, comprehendent; quemadmodum videre eſt in ecliptico circulo coluros interſecante. Is enim in communi ſectione cum tropicorum coluro angulos rectos comprehendit; at circà nodos tantùm complementum maximæ ſuæ declinationis, nempe 66 gradus et 29 ſcrupula, intermediis autem locis angulos omnes inter ſe facit inæquales. In minoribus verò circulis etiàm manifeſtior eſt evariatio. Loxodromia igitur ἑλικοειδὴς quædam ſui generis linea eſt, cujus longitudinem et ſitum in ipſo curſu gubernatores, et navium magiſtri, reliquíque navales pedes ad hanc rem idonei, accuratè et diligentèr obſervant, et pro velocitate aut tarditate conjecturis accuratiſſimè æſtimatam ſeorsìm notant. Hinc enim certiſſima mutatæ tùm longitudinis tùm latitudinis indicia, (modò nihil in his conjecturis ſit peccatum) ab ipſis derivari ſolent; ut inde ad quas oras appulerint, quóve uſque ſit perventum, hoc indicio cognoſcant et definiant. Hujus itaque lineæ accurata et conſtans menſura, et angulus, quem ipſa cum acûs magneticæ ſitu legitimo, hoc eſt, cum vero loci meridiano, comprehendet, utramque in hâc arte paginam nobis faciunt; cui adeò rei, hanc unam ob cauſam, ſedulam adeò operam navant. Nam acûs magneticæ ſitum luxatum, ſummâ, quâ poſſunt, curâ quotidianis obſervationibus reſtituunt. Et curſûs menſuram jactu funis, adhibitâ clepſydrâ momentaneâ, explorant, hoc ferè modo. Funem notæ longitudinis decèm aut viginti decempedarum, etiàm puppis perpendiculo, tanquam trianguli rectanguli crure æſtimato, è puppi præcipitant, cui in fine lignum cimbulámve alligant, quæ tranſversìm ponè in maris ſulco, à concitato navis motu facto, innatet; ut ita, dum funem à glomere minimo momento verſabili deglomerant, eidem quaſi loco affixa hæreat; interìm ab ipſo initio clepſydrâ momentaneâ temporis ſpatium in ipſâ glomeris evolutione elapſum menſurant: et indè, quantum ſingulis horis tali ſucceſſu proficiant conjecturam capiunt;



Methodus æſtimandi velocitatem quâcum navis movetur per jactum ligni parvi in mare ad navem per funem ligati, et deglomerationem funis per parvulum aliquod tempus.

piunt: quod ipsum accuratiores navium magistri sæpiùs iterant, pro ventorum vario impetu; ut hujusmodi observationibus quàm proximè divinando ad verum accedant. Atque ita ex angulo confectæ Loxodromiæ et ejusdem quantitate, posteà latitudinis et longitudinis evariatæ rationem ineunt. Tanti sanè fuerat Loxodromiarum rationes habere benè explicatas. Ingeniosum utique commentum, quod tamen hactenùs duntaxàt processit, ut ejus affectiones mechanicè tantùm usurpari, neque accuratiore calculo explicari potuerint. Nos jam omnes ejus affectiones etiàm numeris, qui ἀκριβέστεροι sunt geometricis lineamentis, persequi docemus, quæ res singularem habet utilitatem cum summâ facilitate conjunctam. Nam mechanica eorum praxis juxtà est et operosa et lubrica, quæ in chartis hydrographicis illis exercetur, quæ terreni globi situm nusquàm ad amussim refert; quæque adeò immane quantum à vero abludit; ut non tàm mirandum quàm necessarium sit hìc mechanicen istam suos asseclas in errorem manifestarium dare præcipites.

PROPOSITIO XVI.

Loxodromia nulla se in terræ polos induit.

CONSECTARIUM est ex antecedente propositione derivatum. Cum enim loxodromiæ forma ex angulo, quem cum meridiano loci comprehendit, tota censeatur, et eâ sublatâ loxodromia ampliùs nulla sit, materiæ vitem subibit ipse meridianus, quo subducto, tanquam cruribus anguli sublatis, angulus planè nullus comprehendi posse intelligitur; ut ita loxodromiæ et res et titulus concidant. Atqui sub polis et mundi cardinibus in hoc Terræ globo nullum meridianum esse, et ratio et demonstratio convincit. Neque enim in illo terræ puncto sidus ullum, aut cœli quodcunque aliud immobile punctum vel oritur vel occidit: unde meridiani notio solùm derivatur, quemadmodum nominis definitio arguit; qui ita Latinis meridianus, Græcis μεσημβρινος, quasi medidianus aut μεσημέρινος indigitatur, quod spatium temporis inter ortum et ejusdem puncti occasum medium secet. Quod autem à solis tantùm ortu et occasu meridianus dicatur, id tantùm ab usu potiore, et φαινομένῳ in omnium oculos incurrente, est derivatum.


——— *Medio cum sol altissimus orbe*
Tantum respiciet, quantum superesse videbit.

Et si hoc illìc locum quoque habeat, jam istìc meridiani erunt omninò mutabiles et ambulatorii, atque quotannis varii; cum sol nobis hìc modò in cœli medio, inde in ortu, tùm in cœli imo, aliàs in occasu; denique semper in aliis atque aliis locis in æquinoctialia puncta ingrediatur. Atque ita, pro hâc aut illâ bisectione, meridiani circuli situs erit inconstans; nonnunquam enim illis meridianus esset idem qui nobis: aliquando ille circulus horarius, qui nobis horam sextam matutinam signat: aliàs alius, et semper varius. Quamobrem cum hìc nullus meridianus detur; etiàm affectiones, quæ ipsi attribui solent, simùl cum ipso evanescent. Et propterea loxodromia (quæ à sectione meridiani

diani nomen et formam sortitur,) planè nulla concipi hoc loco sub polis poterit; ut, in diagrammate propositionis antecedentis, Loxodromia *e i o u*, continuata porrò in *m*, *n* et *p*, atque inde in *c*, nunquam tamen in *a* polum incurret, sed, infinitis gyris circumacta, ad illum punctum nunquam perveniet.

PROPOSITIO XVII.

Loxodromia est instar basis trianguli plani rectanguli ad sphæræ superficiem applicati, cujus crus unum sit distantia parallelorum inter quos intercipitur.



INCLINATIO anguli quem navium carina cum meridiano comprehendit, postquam à perpendiculo demutat, varia omninò esse potest, et ideò loxodromiæ helices infinitæ, alium atque alium cum meridianis angulum comprehendentes. Angulum autem recto minorem hìc inclinationis angulum vocamus. Cum autem singularum una eadémque sit ad omnes meridianos inclinatio, et per singula puncta, etiàm vicinissima, paralleli circuli meridiano perpendiculares cogitatione traduci possint, vides hic triangulum efformari rectangulum. In partes porrò minutissimas et meridianus et loxodromia concidi possunt, ut vix ullo calculo eorum à rectis lineis differentia exprimi aut deprehendi queat; atque hæ particulæ in alias minores millesimas. Et quamvis rectæ et curvæ differentia hoc sectionum minutali haud possit tolli, neque unquam quantulacunque curvæ lineæ pars recta sit, tamen ad sensum et usum omninò evanescit; hoc igitur minimum, quod hìc concipimus, loxodromiæ segmentum, fiet anguli recti basis, segmentum autem meridiani crus unum. Ad istam planè formulam, quemadmodum accidit triangulo rectangulo, cujus crus unum cylindri peripheriæ æquale sit, si alterum lateri cylindri recti applicetur, hoc autem circà cylindrum inflectatur, tum basis trianguli helicem cylindraceam in ejus superficie designabit. Quod Pappus prop. 24, l. 8, disertè docet; ut illa helix nostræ helici loxodromicæ, et illud crus trianguli lateri congruens, vel, quod idem sit, axi parallelum, meridiani segmento hìc respondeat: quamvis illius designatio et explicatio non paulò sit facilior quàm hujus nostræ; quod circuli paralleli illìc sint æquales: hìc autem longè secùs sit. Intelligamus itaque in loxodromiâ *e i o u* segmenta

 meridi-

meridianorum *ji, vo, uf*, esse æqualia, et angulos *eij, iov, ouf* æquales, *ej, iv, of* parallelorum circulorum segmenta non quidem similia, sed æqualia tantùm. Hìc basis trianguli totius esset *eiou*; crus porrò reliquum *ux*, è segmentis *ij, ov, uf*, compositum intelligatur.

PROPOSITIO XVIII.

Ejusdem loxodromiæ segmenta inter parallelos circulos æquali intervallo disjunctos intercepta sunt æqualia.


ET hoc quoque expositam loxodromiarum formam consequitur. Sit enim loxodromia aliqua quæ ad æquinoctialem usque pertingat à gradu latitudinis primo, quemcunque tandem cum meridianis angulum comprehendat. Quod si hìc per singula minuta paralleli circuli transire intelligantur, fient sexaginta hujus loxodromiæ partes inter hos interceptæ, et ideò per ipsa sectionum puncta ductis parallelis totidèm fient quasi triangula rectangula; quorum crus unum, meridiani nempè segmentum, cruri alterius, et angulus unius, à Loxodromiâ, tanquam base, et meridiano comprehensus, angulo alterius paritèr constituto, sit æqualis: et triangula ideò ipsa quoque similia et æqualia. Aut, si ne hoc quidem satìs sit, per singula secunda scrupula paralleli ducti intelligantur, et fient rectangula triangula 3600; vel, si etiàm minora segmenta concipias, tanto faciliorem habebit explicationem, et cum planis triangulis affinitatem; ut unus gradus in meridiano non tantùm in tertia, aut quarta, sed etiàm in decima vel millesima scrupula concisus intelligatur. Atque ita in his minutissimis triangulis singula crura cruribus, et bases, (quæ sunt loxodromiæ istius segmenta,) basibus, æquabuntur. Et istud helici cylindraceæ quoque respondet, cujus segmenta inter circulos parallelos, et æquali intervallo disjunctos, æqualia omninò sunt: sed ista segmenta sunt prætereà etiàm congrua, ob illius lineæ ὁμοιομέρειαν, ut Apollonius apud Proclum demonstravit; quod in nostrâ helice non assequimur. Quare ejusdem helicis segmentum inter æquinoctialem et parallelum primum tantum erit, quantum inter 45 et 46, aut 50 et 51, vel 80 et 81, atque ita porrò de omnibus qui dari possunt parallelis. Id in superiore diagrammate lineis *ji, vo, fu*, expressimus.

Terræ autem polus punctum est, non parallelus; et nullo loxodromiæ cursu ad eum deveniri posse suprà demonstravi, quia helix ista ante deficiat quàm ad eum pertingat. Nihilominùs loxodromiarum segmenta à puncto polo proximo inter duos parallelos quocunque intervallo (ut, putà, unius minuti) disjunctos tanta sunt, quanta inter parallelos propè æquinoctialem eodem intervallo distantes; sed ita, ut minimum hoc loxodromiæ segmentum illìc sæpiùs revolvatur, antequam intrà positos parallelos suam quantitatem explicet.

PROPOSITIO XIX.

Datâ quantitate et angulo inclinationis loxodromiæ, parallelorum diſtantiam invenire.

EXPONATUR loxodromia cujus longitudo ſit milliarium maritimorum, vel nauticorum, 50, angulus inclinationis 56 graduum et 15 ſcrupulorum : quæritur latitudinis evariatio. Id totum per triangulorum planorum doctrinam ſecundùm demonſtrata explicari poteſt. Concipiamus enim triangulum rectangulum *aei*; ut *a* ſit loxodromiæ initium; et meridianus illius loci *ae*; *ai*, loxodromiæ menſura, milliarium 50; *eai*, angulus inclinationis, 56 gradus et 15 ſcrupula. Cum igitùr, per propoſ. 17, *a e* meridiani ſegmentum ſit inſtar cruris, et loxodromia *a i* inſtar baſis anguli recti *a e i*, et angulus *aie*, complementum inclinationis, detur 33 graduum et 45 ſcrupulorum; erit quemadmodum radius 10,000,000, ad ſinum anguli *aie*, 33 grad. 45 ſcrup. 5,555,702, ita *a i*, 50 milliaria, ad $27\frac{77851}{100000}$ milliaria; tot igitur milliarium erit ſegmentum meridiani *a e*. Ea porrò ad ſcrupula per proportionem reducentur hoc modo : 15 milliaria ſunt ſcrupula 60, hoc eſt, 1 milliare valet ſcrupula 4; ergò $27\frac{7785}{10000}$ dabunt ſcrupula $111\frac{1140}{10000}$; quæ faciunt unum gradum et 51 ſcrupula et $\frac{1140}{10000}$ ſeu $\frac{114}{1000}$ partes ſcrupuli : et proptereà *e* punctum, ſeu parallelus *e i*, in auſtrum vel in boream à parallelo *au* disjungetur 1 gradu èt 51 ſcrupulis, et $\frac{114}{1000}$ partibus ſcrupuli. Quamobrem ſi ſtatuatur *a* punctum in parallelo 51, et *a e* versùs boream porrigi, erit *ei* parallelus per gr. 52, ſcr. 51, eductus quam proximè. Contrà, ſi in auſtrum, jam ad 49 gra. 9 ſcr. pertingeret; atque ita porrò in reliquis. Aut concinniùs breviúſque hoc modo :



Ut radius ad quadruplum ſinûs complementi inclinationis datæ loxodromiæ; ita milliaria longitudinis ejuſdem, ad ſcrupula evariatæ latitudinis.

Res ex poſitâ analogiâ manifeſta eſt. Ne longè diſcedamus, eodem utar exemplo : quadruplum ſinûs 33 gr. 45 ſcr. eſt 22,222,808, unde ſecundùm poſitos terminos 10,000,000 22,222,808, 50, concludes quartum $111\frac{1140}{10000}$, ut ſuprà.

PROPOSITIO XX.

Dato parallelorum intervallo cum loxodromiæ inclinationis angulo, ejuſdem menſura quoque datur.

UT in diagrammate antecedente, ſi detur *ea* meridiani ſegmentum 1 gr. 51 ſcr. et angulus loxodromiæ *eai* 56 graduum et 15 ſcrupulorum, fit, per propoſitionem 18, triangulum rectangulum *eai*, cujus angulus et unum recti crus huic adjacens

jacens datur: nam quaterna minuta in maximo circulo unum milliare nauticum exæquant; et propterea 1 gr. 51 scr., seu scrupula 111, fient milliaria $\frac{111}{4}$. Atque inde fit hæc proportio; ut radius 10,000,000, ad secantem 56 gr. 15 scr. 17,999,524, ita milliaria $\frac{111}{4}$ ad $49\frac{9437}{10000}$; tanta igitùr erit longitudo loxodromiæ *ai* inter istam parallelorum distantiam, sub hoc inclinationis angulo dato. Sed concinnius et elegantius fuerit si fiat,

Ut radius ad quadrantem secantis anguli inclinationis datæ loxodromiæ; ita scrupula evariatæ latitudinis, ad longitudinem loxodromiæ optatam.

Id quoque ex præmissâ demonstratione fuerit perspicuum. Nam, cum scrupulorum evariatæ latitudinis quadrans sit tertius proportionis terminus, secans autem secundus; nihil refert an hunc, an illum, per 4 dividam. Res experiunti manifesta est.

PROPOSITIO XXI.

Dato parallelorum intervallo cum loxodromiæ quantitate, inclinationis ejusdem angulus quoque dabitur.

HIC enim datâ basi et crure quæritur angulus ab ipsis comprehensus. Fiat itaque, *ut quadruplum milliarium loxodromiæ datæ, ad scrupula evariatæ latitudinis; ita radius ad sinum complementi inclinationis:* vel, *ut scrupula evariatæ latitudinis, ad quadruplum milliarium loxodromiæ; ita radius ad secantem inclinationis.* Horum veritas ex antecedentium analogiâ est manifesta.

PROPOSITIO XXII.

Crus alterum trianguli loxodromici integrum simùl imaginarium est; sed per minimas particulas singulis parallelis æquali intervallo disjunctis æqualitèr attribuendum; quod ideò vocetur * μηκοδυναμικόν.

CUM enim, per propositionem 17, Loxodromia sit quasi basis trianguli, cujus unum crus sit segmentum meridiani distantiæ parallelorum inter quos intercipitur æquale, reliquum crus nobis hic quoque quærendum est. Id autem simùl totum in superficie sphæricâ non datur; quia circuli in sphærico inæquales sunt, et polo viciniores minores remotioribus et æquinoctiali propioribus. In helice quidem cylindraceâ et ejus triangulo, in singulis parallelis circulis, si perpendiculare latus in æqualia segmenta tribueretur, crus anguli recti jacens erat segmentum circuli proportionale et æquale reliquis, per æqualia perpendiculi segmenta inter se distantibus. Hìc verò etiamsi meridiani segmenta, quæ sunt tanquam perpendiculi segmenta, sint inter se æqualia; et loxodromiæ, quæ sunt bases


* Evariationem longitudinis potentiâ complexum.

angulo

angulo recto ſubtenſæ, etiàm inter ſe æquales ſint; atque ideò reliqua crura jacentia, quæ parallelis imputanda ſunt, æqualia eſſe debeant: quia tamen paralleli ſuccedentes (ſi à polis initium ducas) antecedentibus ſint majores, ſegmenta etiàm minima, ut in ipſis neceſſariò quidem ſint æqualia; neutiquam tamen erunt ſimilia: ſed in majoribus circulis pauciora, in minoribus plura, occupabunt minuta. Hæc autem omninò exemplo propoſito erunt illuſtriora. Sit triangulum loxodromicum è propoſitione antecedente *a e i*, cujus baſis *a i* ſit milliarium $49\frac{9487}{10000}$, crus alterum *a e* (quod erat meridiani ſegmentum,) dabatur 1 gr. 51 ſcr. ſeu milliarium $27\frac{1}{4}$; itaque reliquum, quaſi *e i*, per tabulas tangentium invenietur milliarium $41\frac{5308}{10000}$, Hoc quidem uno nomine et ſub unâ continuâ lineâ in ſphæræ ſuperficie nuſquam datur. Sed in minimas particulas per ſingulos, et quaſi infinitos, parallelos diſtribuendum intelligitur; et in quanto plura triangula id diffundetur, tanto ea uſui erunt aptiora. Nos ab æquinoctiali, ad parallelum ſeptuageſimum, parallelos per ſingula ſcrupula ducere, et totidem triangula delineare ſufficere exiſtimamus; ut majore περιεργεία non ſit opus, quemadmodum infrà demonſtrabitur. Atque ita in propoſito exemplo futuri ſunt 111 paralleli, quot erunt minuta à principio ad finem. Et ideò tot rectangula triangula quoque concipiantur, quot inter hos parallelos efformari poterunt; ita ut unum crus perpendiculare ſit minutum unicum in meridiano per loxodromiæ et parallelorum communes ſectiones eductum, crus reliquum pars tanta cruris μηκοδυναμικῶ in parallelis. Sed, ut dixi, quanto horum parallelorum diſtantia minor erit, tanto quoque accuratior erit æſtimatio minutorum per ſingulos parallelos diffuſorum; quia iſta nobis longitudinis æſtimationem præſtare debent. Itáque crus μηκοδυναμικὸν conſtat per doctrinam triangulorum hoc modo.

PROPOSITIO XXIII.

Triangula loxodromica unitate ſunt pauciora parallelorum numero, quot à primo ad ultimum intercipiuntur incluſivè.



SIT in expoſito diagrammate *k x* primùm circulus ipſe æquinoctialis; et *a z* parallelus per undecimum minutum eductus; loxodromia propoſita *a* R. Si ergò per ſingula minuta paralleli educantur, (ut hic vides *f p*, *b g*, *c d*, et cæteros,) habebis undecìm; quibus ſi ipſum æquinoctialem *k x* annumeres, erunt in univerſum duodecìm paralleli, triangula autem duntaxat undecìm; quia vertex ultimi trianguli in parallelo *z a* tantum terminatur, ut hìc vides. Si aliundè quam ab æquinoctiali initium ducas, res eadem erit, et analogia reſpondet.

Cùm autèm in parallelorum canonicis initium ducatur ab ipſo æquinoctiali, et nos vulgò ità loquamur,

ut

ut eum excludamus ; ut cùm dicimus, parallelus per 1 gr. 7 scr. hic eum intelligimus qui per istud scrupulum transit : atque ideò præter æquinoctialem essent paralleli per singula minuta educti 67 ; huc si annumeretur æquinoctialis, fiunt paralleli 68 ; et ideò triangula 67 : ut ita tutò tibi liceat ex tabulis canonicis assumere quadruplum numeri, cui 1 gr. 7 scr. attribuitur. Idem erit si aliunde quam ab æquinoctiali initium ducas.

PROPOSITIO XXIV.

Si initium loxodromiæ ab æquinoctiali ducatur, totidem erunt triangula loxodromica quot scrupulis inde extremus parallelus distabit.

ID in superiore exemplo manifestum est ; nam cum illic assumam parallelum ultimum *az* minutis undecìm ab æquinoctiali distantem, primus autem fit æquinoctialis in expositâ figurâ, qui tamen in hâc vulgari et usitatâ parallelorum numeratione in censum non venit, quia parallelus primus intelligitur, qui minuti intervallo ab ipso æquinoctiali sit disjunctus : efficitur, ut minutorum numerus qui hujusmodi parallelorum est index, à numero triangulorum interceptorum non discrepet ; sed unus, et planè idem sit.

PROPOSITIO XXV.

In latitudine simili numerus minutorum differentiæ parallelorum, cognominis est numero triangulorum loxodromicorum : in dissimili verò, numerus summæ.

SIT jam in eodem diagrammate *kb* parallelus 52 gra. et *az* parallelus 52 gr. 11 scr. Hìc igitùr si utrumque extremum inclusivè assumas, sunt paralleli quidèm duodecìm, triangula autem loxodromica duntaxàt undecìm, quantus est scrupulorum differentiæ numerus, si 52 gr. 11 scr. deducas. Si latitudo sit dissimilis, altera borea, et reliqua notia ; summa scrupulorum latitudinis utriusque in unum conflata triangulorum intermediorum numero erit cognominis. Sit enim *kx* iterùm æquinoctialis, *az* parallelus boreus per scrupulum undecimum eductus ; parte adversâ *a* 9 parallelus notius per latitudinis notiæ scrupulum quartum. Illìc igitùr, per prop. 23, erunt triangula undecìm, hìc quatuor, summa triangulorum quindecìm, quanta quoque est scrupulorum.

PRO-

PROPOSITIO XXVI.

Si trianguli loxodromici crus μηκοδυναμικὸν per parallelorum minutatim distantium differentiam, in latitudine simili dividatur, quotus erit pars singulis à maximo inclusivè ad minimum exclusivè æqualitèr attribuenda.

SIT in eodem diagrammate *kx* crus μηκοδυναμικὸν milliarium 17⅓, et *k* in æquinoctiali, *a* in latitudinis scrupulo 11. Itaque, per 23 propositionem, hìc erunt triangula loxodromica 11 et totidem crura singulis parallelis attribuenda, quorum primum equinoctiali debetur, secundum *fp* parallelo per scrupulum latitudinis primum, tertium *bg* parallelo per scrupulum secundum, denique undecimum *ie* parallelo per scrupulum decimum; ut ab hoc numero parallelus ultimus sive undecimus excludatur: quia vertex novissimi trianguli *iae* eo tantùm pertingit. Quamobrem crure mecodynamico 17⅓ milliarium per 11 diviso, pars quota erit 1½ milliaris singulis parallelis attribuenda; ut *kb, fp, bg*, reliquáque sigillatìm habeant longitudinem sesqui-milliaris. Atque ita hoc totum latus imaginarium per partes æquales singulis, quotcunque concipimus, parallelis attribuitur. Res eadem erit si non ab ipso, sed aliunde à quocunque alio parallelo, initium facias. Cujus veritas è propos. 23, et 25 quoque, manifesta est.

PROPOSITIO XXVII.

Loxodromiæ æquinoctialem secantis crus μηκοδυναμικὸν ab æquinoctiali in suas utrimque partes est distribuendum; èt æquinoctialis geminam habet hoc casu portiunculam: extremi autem paralleli utrimque excluduntur.

SIT *bx* æquinoctialis; crus μηκοδυναμικὸν *a*ϑ; cui æquetur K *x*. Itaque pars K*k* parallelis notiis, et *kx* parallelis boreis, est imputanda, per antecedentem. Atque ita fit ut *k*λ, *kb* geminæ portiunculæ æquinoctiali attribuendæ sint, extremus autem uterque hic æquo jure excludatur.

PROPOSITIO XXVIII.


Datis angulo loxodromiæ et latitudinis evariatione, crus mecodynamicum invenire.

UT radius ad quadrantem tangentis datæ loxodromiæ, ita evariatæ latitudinis minuta, ad milliaria cruris mecodynamici. Sit enim distantia parallelorum *oa*, *ie* minutorum 32, et angulus inclinationis *iae* 56 gra. 15 scr. Erit itaque in triangulo rectangulo *iae*, ut radius 100,000 ad tangentem 56 gra. 15 scru. 149,660, ita evariatæ latitudinis segmenti *ae* milliaria, quæ sunt pars

quarta

quarta minutorum 32, nempe 8, ad milliaria cruris mecodynamici *ei* $11\frac{9728}{10000}$. Et ideò per interpretationem: quemadmodum radius 100,000 ad quadrantem tangentis anguli inclinationis 37,415, ita latitudinis evariatæ minuta 32, ad milliaria evariatæ longitudinis $12\frac{9729}{10000}$, ut ſuprà.

Quod erat inveniendum.



Quadrans tangentis anguli inclinationis datæ loxodromiæ per radium diviſus, exhibet cruris mecodynamici milliaria uni evariatæ latitudinis minuto debita.

Ratio et demonſtratio ex præmiſſo theoremate in promptu eſt: Ut ſi detur loxodromiæ inclinatio 56 gr. 15 ſcr. ejus tangens erit 149,660, cujus quadrans eſt 37,415; qui per radium diviſus dabit $\frac{37415}{100000}$ partem milliaris cruri mecodynamico debitam ſub hâc inclinatione, quando crus alterum in triangulo mecodynamico aſſumetur quantitate unius minuti.

PROPOSITIO XXIX.

Datâ Loxodromiæ quantitate et angulo inclinationis, ejuſdem crus mecodynamicum invenire.

HOC eſt, datâ trianguli rectanguli baſe et angulo acuto, crus recti ei oppoſitum invenire. Fiat igitur:

Quemadmodum radius ad ſinum dati anguli; ita milliaria loxodromica data ad milliaria cruris mecodynamici.

Ex analogiâ et demonſtratione antecedentium res eſt manifeſta.

PROPOSITIO XXX.

Datâ latitudinis evariatione à dato parallelo, cum inclinatione loxodromiæ, dabitur quoque evariatio longitudinis.

QUEMADMODUM ſuperioribus theorematis 26 et 27 tres caſus in triangulis loxodromicis diſtinximus; ita quoque exemplis ternis, diſtinctis, hanc et ſequentes propoſitiones explicare operæ judicamus pretium. Detur parallelus, unde initium loxodromiæ ducatur, ipſe æquinoctialis; inclinatio loxodromiæ 56 gr. 15 ſcr. (inclinatio autem, ut ſuprà eam definivimus, eſt angulus minor à loxodromiâ et meridiano comprehenſus, ut *arz* vel *krl* in ſuperiore diagraphâ) evariatio autem latitudinis 53 gr. 10 ſcrup. quæritur quantum in longitudine hîc ſit à primo loco diſceſſum. Primum per propoſitionis 28 conſectarium inveniatur ex datæ loxodromiæ inclinatione milliaris pars quota ſingulis

gulis parallelis ab æquinoctiali ad 53 grad. 10 ſcrup. excluſivè aſſignanda: nempe, ſi tangentis inclinationis quadrans per radium dividatur, ut hic vides $\frac{37415}{100000}$; tum deinde hæc milliaris portio in ſcrupula ſingulis parallelis debita convertetur per propoſitionem 12 hoc modo. Ex canonicis parallelorum aſſumatur numerus qui 53 gra. 10 ſcr. debetur 37,800,747, ejúſque quadruplum 151,202,988. Atque inde fiat hæc proportio; quemadmodum 10,000, ad 151,202,988, ita $\frac{37415}{100000}$ ad $5657\frac{250796020}{1000000000}$ ſcrupula longitudinis evariatæ: tantum enim hoc curſu ab æquinoctiali ad propoſitum parallelum navigando meridianus uterque disjungitur, qui ſunt gradus 94, ſcrupula 17, ſecunda 15, et ultrà. Quia verò tantâ, ad ſecunda et tertia uſque, περιεργία opus non eſt in hoc terræ globo, potuêre termini paulo minores aſſumi; nempe 10, 151,203, $\frac{3741}{10000}$; unde concludes $5656\frac{5049}{10000}$; quod eſt vix dimidio ſcrupulo minus quàm anteà.

Eſto exemplum etiàm alterum, ut latitudinis evariatio aſſumatur à parallelo 36 ad parallelum 53, loxodromiæ autem angulus ſit 78 gr. 45 ſcr. et quæratur diſtantia meridianorum à principio ad finem hujus curſûs: tangens anguli inclinationis 78 grad. 45 ſcrup. eſt 502,734, cujus quadrans per radium diviſus dabit partem quotam cruris mecodynamici ſingulis parallelis hoc curſu attribuendam, nempe $\frac{125683}{1000000}$ milliaris, per propoſitionem 27. Hinc adeò reliqua jam concludes ad inveniendam longitudinem. Nam differentia numeri qui pertinet ad 36 gradus à numero, qui pertinet ad 53 gradus eſt 1432.9669, ejus quadruplum 5731.8676, et inde fit hæc proportio; ut 10,000 ad 5731.8676, ita $\frac{125683}{1000000}$ ad quartum, vel (amputatis numeris redundantibus) ut 10 ad 57,319, ita $\frac{12568}{100000}$ ad 7204 ſcrupula, qui ſunt gradus 120 ſcr. 4.

Denique tertium proponatur, ut à latitudine auſtrinâ 52 graduum ad latitudinem boream 53 curſus ita ſit directus, ut anguli ejus ad meridianum inclinatio ſit 85 gra. 22 ſcr. 30 ſec. Inde ab initio quærenda eſt tangens dati anguli, nempe 1,240,174, cujus quadrans 313,391 per radium diviſus dabit partem quotam, hoc curſu ſingulis parallelis attribuendam, $3\frac{13301}{100000}$ milliaria, per prop. 27. Atqui, per prop. 12, quadruplum ſummæ ſecantium quæ ad iſtos gradus pertinet, dabit numerum congruum totidem parallelis, quot triangula mecodynamica hìc per ſingula ſcrupula erunt concipienda per propoſ. 26. Ergò quadruplum ſummæ quæ pertinet ad gradus 52, fuerit 146,595,268; deinde quadruplum ſummæ quæ pertinet ad gradus 53, erit 150,537,172; ſumma utriuſque 297,132,440. Atque inde fit hæc proportio; quemadmodum 10,000 ad 297,132,440, ita $\frac{313391}{1000000}$ ad quartum; ſeu, quod idem ſit, ut 10 ad 297,132, ita $\frac{31339}{100000}$ ad $93,118\frac{20}{100}$ ſcrupula; quæ ſunt æqualia gradibus 1551 ſcr. 58, ſec. 12: adeò ut hoc curſu inter illos parallelos neceſſe ſit orbem terrarum quatèr obitum eſſe, et inſupèr gradus 111, cum ſcrupulis 58. Atque ita latitudinis evariatione cum loxodromiæ inclinationis angulo datis, longitudinis evariatio quoque datur haud admodùm operosè.

Si autem angulus inclinationis datus ſit aliquis ex illorum numero, qui apud naucleros in uſu ſunt: utpote cum $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{16}$, $\frac{1}{32}$, anguli recti explebunt: id etiàm per canones προχείρες manuales, ad hanc rem à nobis factos, facillimè expedire licebit. Sed de iſtis vide librum ſecundum.

PROPOSITIO XXXI.

Datâ Loxodromiæ quantitate cum angulo inclinationis, datur evariatio longitudinis.

LONGITUDINIS evariatio, et ſuprà, et apud geographos ſemper, eſt diſtantia duorum meridianorum, in gradibus et ſcrupulis, ſeu minutis, æſtimata. Hujus autem evariationis determinatio eſt Theorema maximi in re maritimâ et loxodromicis usûs, et hactenùs à multis fruſtrà ſollicitatum. Hic autem, tanquam in triangulo rectangulo, datâ baſi cum angulo obliquo, utrumque crus quærendum tibi eſt. Hoc quoque perinde ut antecedens theorema triplici exemplorum genere explicare operæ videtur pretium. Sit igitùr primùm ab æquinoctiali navigatum per milliaria 100, angulo inclinationis loxodromiæ 33 gr. 45 ſcr. Hic, per propoſitionem 19, dabitur evariatio latitudinis $332\frac{50}{100}$ ſcrupulorum, ſive 5 grad. $32\frac{50}{100}$ ſcru. Sed, quia plus dimidio ſcrupulo hic abundat, aſſumam 5 gr. 33 ſcr.; ut ad hunc uſque ab æquinoctiali parallelum deventum eſſe conſtet; et per propoſitionem 28 cruris μηκοδυναμικῶ pars quota ſingulis parallelis attribuenda $\frac{1670}{10000}$: unde, per propoſitionem antecedentem, dantur evariatæ longitudinis 3 gr. 42 ſcr. 47 ſec.

Secundò, ſit à parallelo 47 navigatum angulo inclinationis loxodromiæ 33 gra. 45 ſcr. intervallo milliarium 100: quæritur evariatæ longitudinis quantitas. Cum, per 18 propoſitionem, loxodromiæ ejuſdem ſegmenta inter æquales parallelos ſint æqualia, igitùr, per 19 propoſitionem, datur parallelorum diſtantia $332\frac{50}{100}$ ſive, quod idem ſit, 5 gra. 33 ſcr., qui, à 47mo parallelo numerati, incident in 52 gra. 33 ſcr. Hinc jam pars quota cruris μηκοδυναμικῶ ſingulis parallelis attribuenda dabitur per propoſitionem 28, nempe $\frac{1670}{10000}$. Inde per 29 propoſitionem dabuntur ſcrupula evariatæ longitudinis; nam differentiæ numeri in canonicis parallelorum, qui pertinet ad 47 gr. et numeri qui pertinet ad 52 gra. 33 ſcr. quadruplum eſt 20,660,132; unde fit hæc proportio, per propoſitionem 30; quemadmodum 10,000 ad 20,660,132, ita $\frac{1670}{10000}$ ad $345\frac{1}{5}$ ſcrupula, qui ſunt 5 grad. 45 ſcrup. 7 ſec. Ita vides eâdem curſûs hujus inclinatione et menſurâ, inter hos parallelos longitudinis evariationem 2 gr. majorem eſſe quàm circà æquinoctialem.

Exemplum tertium tale eſto: à latitudine auſtrinâ 36 gr. verſùs æquinoctialem et ultrà navigatum ſit milliaribus 1500, angulo inclinationis loxodromiæ 33 gr. 45 ſcr. ut ſuprà; quæritur longitudinis evariatio. Hìc, per propoſ. 19, datur parallelorum diſtantia 4989, qui ſunt gradus 83, ſcr. 9, ut ideò terminus loxodromiæ pertingat ad parallelum boreum 47 gr. 9 ſcr. Jam pars quota cruris mecodynamici ſingulis parallelis attribuenda, per propoſ. 27, datur $\frac{1670}{10000}$. Hinc aſſumuntur numeri è canonicis parallelorum, qui pertinent ad 36 gr. et ad 47 gr. 9 ſcr. Horum ſummæ quadruplum eſt 221,342; unde fit hæc proportio; ut 100 ad 221,342; ita $\frac{1670}{10000}$ ad $3699\frac{4}{10}$ ſcr. qui ſint ſanè 61 gr. 39 ſcr. Atque tanta eſſet intrà dictos parallelos evariatio longitudinis, ut proximè.

Si loxodromia data ſit aliqua è vulgò uſitatis, poterit idem per canones παγχύφεις faciliùs explicari, quemadmodum aliquot exemplis, in illarum tabularum conſtructione et uſu, infrà libro ſecundo demonſtratur.

PRO-

PROPOSITIO XXXII.

Dato parallelo cum latitudinis et longitudinis evariatione, loxodromiæ inclinationem et quantitatem invenire.

UT loxodromiæ inclinatio inveniatur è longitudinis et latitudinis differentiâ, omninò opus eſt latitudinis initium conſignari, et prætereà in quam plagam diſcedatur à dato parallelo, nempe, an versùs polos, an versùs æquinoctialem; nam pro illius principio et plagâ loxodromiæ inclinatio quoque variari poteſt. Exemplum primum tale eſto. Ab inſulâ Divi Thomæ ſub ipſo æquinoctiali ad oſtium Fluvii Argentei in Braſiliâ, vulgò *Rio de Plata* dicti, longitudinis differentia ſtatuitur 60 gr. et hujus eſt ab æquinoctiali diſtantia 34 gr. præter propter. Quæritur quâ curſûs inclinatione, ſeu loxodromiâ, ab inſulâ D. Thomæ ad dicti fluvii oſtium, et quanto ejuſdem curſûs intervallo ſit navigandum. Hîc igitur ex duobus cruribus quærenda eſt baſis, cum angulo altero obliquo. Nam differentia latitudinis eſt totius trianguli loxodromici crus alterum; è differentiâ longitudinis autem crus reliquum erit inveſtigandum. Primùm 34 gr. in meridiano dabunt milliaria 510: tùm è differentiâ longitudinis 60 gr. dabitur, per propoſitionem, in triangulo loxodromico cruris mecodynamici pars quota in milliaribus, ſingulis parallelis attribuenda, $\frac{41448}{100000}$. Hæc per numerum parallelorum, 2040, multiplicata (tot enim triangula loxodromica interſunt per propoſ. 23,) dabunt milliaria $845\frac{5592}{10000}$. Additis igitùr horum crurum quadratis, nempe à 510 et $845\frac{5592}{10000}$, dabitur etiam baſis $987\frac{4393}{10000}$ milliarium: atque tanta erit dictæ loxodromiæ quantitas. Denique è datis cruribus dabitur quantitas anguli inclinationis: *ut enim milliaria evariatæ latitudinis* 510, *ad crus mecodynamicum* $845\frac{5592}{10000}$; *ita radius ad tangentem anguli inclinationis*, per propoſitionem: unde ipſe angulus loxodromiæ quæſitæ datur 58 gr. 54 ſcr.

Exemplum alterum eſto, ubi utraque latitudo ſimilis. A *Faiael*, inſularum Flandricarum unâ, ad inſulam prope fretum Davis, quam, à Pario lapide Jaſpidem referente, *Bellam*, tanquam pulchellam, vocant, quâ loxodromiâ contendendum ſit, quæritur: utriuſque autem latitudo eſt Borea, illius 38 gr. 50 ſcr. hujus autem 52 gr. 21 ſcr. differentia longitudinis ſit 16 gr. 12 ſcr. Itaque numeri parallelorum canonici utriuſque latitudinis erunt 3699. 1192 et 2531. 2354. Horum differentiæ autem quadruplum erit 4668. 7352. ideóque (per propoſ. 14.) $4468\frac{73}{100}$ minuta evariatæ longitudinis attribuunt ſingulis parallelis unum milliare; ergò 16 gra. 12 ſcru. hoc eſt, ſcr. 972 dabunt $\frac{2082}{10000}$ milliaris: parallelorum autem differentia eſt ſcrupulorum 811; unde latus mecodynamicum dabitur $168\frac{85}{100}$ milliarium, et ex his cruribus baſis loxodromicæ longitudo $263\frac{85}{100}$, et angulus inclinationis loxodromiæ 39 gr. 47 ſcr.

Exemplum tertium tale eſto, ubi utraque latitudo ſit diſſimilis. Bantam in Moluccis habet longitudinem à longitudine Capitis de Aguillas, prope Caput Bonæ Spei in extremo Africæ promontorio, ſecundùm accuratiores noſtrorum hominum obſervationes, diſtantem 86 gr. 50 ſcr. Latitudo autem Bantam eſt 6 gr. 45 ſcr. auſtrina, et latitudo Capitis de Aguillas eſt 35 grad. 0 ſcru. borea;

quæritur

quæritur quo loxodromiæ angulo à Bantam ad Caput de Aguillas ſit navigandum, et quanto ejuſdem intervallo. Hìc igitùr primùm differentia latitudinis, quæ eſt illìc 6 gr. 45 ſcr. auſtrina, et hìc 35 gra. borea, erit 41 gra. 45 ſcrup. ſive ſcrupulorum 2505. Unde datur è Canonicis parallelorum primùm 405. 9366, deinde 2244. 1764; ſummæ ſimùl utriuſque quadruplum 10,600. 4520. Differentia autem longitudinis 86 gr. 50 ſcr. efficit ſcrupula 5210. Unde, per propoſitionem 14, concludes hoc modo: 10,600$\frac{45}{100}$ ſcrupula longitudinis occupant in ſingulis his parallelis 1 milliare; ergò 5210 ſcrupulis cedunt in ſingulis parallelis $\frac{4915}{10000}$ milliaris. Sunt autem paralleli ſimùl in baſibus triangulorum mecodynamicorum 2505. Atque ideò in univerſis ſimùl, pro baſi mecodynamico communi, milliaria 1231$\frac{2075}{10000}$. Latitudinis autem differentia habet milliaria 626$\frac{1}{4}$. Atque ex his trianguli rectanguli cruribus datur baſis, quæ eſt loxodromiæ longitudo, 1381$\frac{32}{100}$ milliarium. Denique etiàm angulus inclinationis: ut enim differentia latitudinis 626$\frac{1}{4}$ milliarium ad crus mecodynamicum 1231$\frac{2075}{10000}$, ita radius ad tangentem anguli inclinationis, qui hinc datur 63 gra. 3 ſcru. quare angulus loxodromiæ erit tantus.

PROPOSITIO XXXIII.

Dato parallelo, et loxodromiæ inclinationis angulo, cum evariatione longitudinis, loxodromiæ quantitatem et latitudinis evariationem invenire.

SIT igitùr ab inſulâ Divi Thomæ ſub æquinoctiali navigatum versùs oſtium fluminis argentei, ſeu *Rio de Plata*, (quemadmodum Hiſpanico idiomate vocatur,) ſub angulo inclinationis loxodromiæ 58 gr. 54 ſcr. ut hoc curſu longitudinis evariatio ſit facta graduum 60; quæritur loxodromiæ quantitas cum evariatione latitudinis. Id erit concludendum hoc modo, ut primùm experiaris quantum deni, vel viceni, aut triceni latitudinis gradus ſub hac inclinatione longitudinem evarient: quæ res perfacilem habet explicationem è propoſitionis vigeſimæ octavæ conſectario. Quadrans enim tangentis datæ inclinationis loxodromicæ, per radium diviſus, dabit milliaria cruris mecodynamici ex æquo ſingulis parallelis æqualitèr attribuenda. Ut ſi detur inclinatio 58 gr. 54 ſcr. Nam tangentis hujus 165,772 quadrans 41,443 per radium diviſus dabit $\frac{41443}{100000}$ unius milliaris in ſingulis parallelis. Si itaque per hunc numerum multiplices illius è parallelorum canonicis numeri, qui ad 10 gr. pertinet, quadruplum, dabitur evariatio longitudinis, quanta ſub hoc curſu ad parallelum decimi gradûs ab æquinoctiali à principio ad finem intercidat, per propoſitionem 30mam, nempe ſcrupula 398$\frac{474}{1000}$. Unde proportio hujuſmodi inſtituetur. Quemadmodum 398$\frac{474}{1000}$ ſcrupula inventa, ad optata 3600 (tot enim ſcrupula 60 gradibus evariatæ longitudinis continentur;) Ita aſſumptus numerus parallelorum canonicus 10 grad. 240. 1940 ad numerum quartum 2171$\frac{659}{1000}$: qui omninò quærendus tibi ſit in canonicis parallelorum; cui illic reſpondent 34 gr. 0 ſcr. 19 ſec. Aio itaque hoc curſu navigandum ab æquinoctiali ad parallelum 34 gr. ut longitudinis evariatio ſit 60 gr. Si enim numerum inventum 2171$\frac{659}{1000}$ per $\frac{41443}{100000}$ multiplices, fiunt ſcrupula 3600.00; hoc eſt, gradus evariatæ longitudinis 60 exactè,

exactè, quemadmodum postulabatur. Veritás hujus factionis liquet ex ipsâ canonicorum nostrorum numerorum affectione, et terminis multiplicationis. Namque canonici 10 gra. numeri quadruplum $960\frac{7760}{10000}$, multiplicatum per milliarium numerum mecodynamicum $\frac{41443}{100000}$, dat scrupula evariatæ longitudinis $398\frac{174}{1000}$. Atque in secundo quadruplus numeri canonici, quem jam assumimus pertinere ad 34 gr. nempe $8686\frac{6396}{10000}$ multiplicatus per eadem milliaria mecodynamica $\frac{41443}{100000}$, dat evariatæ hujus latitudinis scrupula 3600. Hoc modo

$$\begin{array}{cc} 960\frac{7760}{10000} & 8686\frac{6396}{10000} \\ \frac{41443}{100000} & \frac{41443}{100000} \\ \hline 398\frac{17}{100} & 3600 \end{array}$$

Quamobrem facti erunt proportionales multiplicatis. Erit igitùr, ut $398\frac{17}{100}$, nempe scrupula longitudinis inventa, ad suum numerum $960\frac{7760}{10000}$: ita scrupula proposita 3600 ad suum numerum, cujus quadrans est canonicus, et in tabulâ $2171\frac{65990}{100000}$ ostendit parallelum 34 gr. unde, per propositionem, loxodromiæ ipsius longitudo invenietur per quadrata crurum trianguli totius mecodynamici. Crus longitudinis mecodynamicum è 34 graduum parallelis datur $845\frac{437}{1000}$ et milliaria evariatæ latitudinis 510. Inde loxodromiæ ipsius longitudo milliarium $987\frac{35}{100}$.

Esto exemplum secundum, ubi cursus à parallelo aliquo versùs polum proximum dirigitur. Sit itaque idem cursus 58 gr. 54 scr. datus, et eadem longitudinis evariatio graduum 60. Initium autem à parallelo 24 gr. versùs polos. Itaque paralleli alicujus, ut puta 10 graduum, aut 20 graduum, numerum canonicum assumito; atque inde, ut ante, ejus numeri quadruplo per cruris mecodynamici milliaria, quantum in singulis parallelis sub hac inclinatione occupat, $\frac{41443}{100000}$, multiplicato, dabuntur minuta illi evariationi debita, ut suprà $398\frac{174}{1000}$. Atque inde fiet hæc proportio; quemadmodum ante $398\frac{174}{1000}$ dant numerum; ergo 3600 dabunt $2171\frac{65990}{100000}$, numerum canonicum; qui, additus ad canonicum 24 gr. $1484\frac{0097}{10000}$, conflat summam $3655\frac{6696}{10000}$, qui pertinent in Canone parallelico ad 51 gr. 54 scr. 19 sec. Atque ideò secundùm demonstrata in exemplo primo à 24 gra. ad 51 gra. 54 scr. navigandum esset hoc cursu antequam istam longitudinis evariationem assequaris. Unde, per propositionem 32dam, datur ipsius loxodromiæ longitudo milliarium $987\frac{35}{100}$.

Tertium exemplum esto ubi cursus à parallelo boreo ultrà æquinoctialem excurrat. Sit à parallelo 23 gr. 30 scr. navigatum in austrum sub inclinatione loxodromiæ 58 gr. 54 scr. et longitudinis evariatione 120 gr. Hìc, ut anteâ, paralleli alicujus numerum canonicum, ut puta gradûs decimi, assumito, nempe 240.1940; eóque per cruris mecodynamici milliaria in singulis parallelis sub hac inclinatione multiplicato $\frac{41443}{100000}$, dabuntur minuta $398\frac{174}{1000}$ longitudinis evariationi ad decimi gradûs parallelum ab æquinoctiali debita. Atque inde fiet hæc proportio; quemadmodum priùs, $398\frac{174}{1000}$ dant numerum canonicum 240.1940; ergò gradus evariatæ longitudinis, quæ sunt minuta 7200, dabunt $4343\frac{3198}{10000}$. Quia autem numerus iste major est numero canonico paralleli propositi 23 grad. 30 scru. $1451\frac{23590}{100000}$, id argumentum est, illam loxodromiam ultrà æquinoctialem protendi: ideóque hunc de illo deducam: reliquus $2892\frac{0839}{10000}$ erit canonicus numerus in canone inquirendus, cui respondent 43 gr. 21 scr. 10 sec. Ut sub

hâc

hâc inclinatione à boreo parallelo 23 gr. 30 fcr. initio facto ad auftrinum ufque 43 gr. 21 fcr. decurrendum fit, ut longitudinis evariatio 120 graduum efficiatur. Unde per propofitionem 30^mam^ datur ipfius loxodromiæ longitudo milliarium $1974\frac{70}{100}$; quemadmodum erat propofitum.

Atque hinc expeditiffimè adeò invenias quantum in latitudine evarietur continuè ab æquinoctiali, fi eadem affumatur ubique longitudinis differentia. Ut fi quæratur fub inclinatione loxodromiæ 33 gr. 45 fcr. et evariatione longitudinis duorum graduum continuâ, quanta fit evariatio latitudinis. Hic primùm, quemadmodum ante, per proportionem concludes, quantum quilibet parallelus affumptus evariet fub hâc inclinatione, crus in fingulis parallelis mecodynamicum eft milliarium $\frac{16702}{100000}$: inde fi affumatur evariatio latitudinis unius tantum gradûs, cui competit numerus canonicus 60.0030, à cujus quadruplo dabuntur per propofitionem 30^mam^ fcrupula evariatæ longitudinis $40\frac{08680}{100000}$. Atque hinc fit hæc proportio; quemadmodum fcrupula $40\frac{08680}{100000}$ ad optatæ evariationis fcrupula 120, ita numerus canonicus affumptus 60.0030 ad quæfitum canonicum 179.6192, qui dat evariationem latitudinis 2 grad. 59 fcrup. $32\frac{2}{3}$ fec. Inde, fi evariationem 4 graduum longitudinis quæras, numerum inventum duplicato; fi fex, triplicato; fin octo, quadruplicato: atque ita porrò, quemadmodum hic viciès continuatos numeros canonicos vides 179.6192, 359.2384, 538.8576, 718.4768, 898.0960, 1777.7152, 1257.3344, 1436.9536, 1616.5728, 1796.1920, 1975.8112, 2155.4304, 2335.0496, 2514.6688, 2694.2880, 2873.9072, 3053.5264, 3233.1456, 3412.7648, 3592.3840. Qui omnes numeri cum canonicis comparati dabunt parallelos optatos; inter quos hoc curfu longitudinis evariatio ubique par, nempe duorum graduum, inveniatur; paralleli autem quæfiti funt ifti, quemadmodum hic ordine difpofitos vides.

gr.	fcr.	fec.
2	59	$32\frac{2}{3}$
5	59	$35\frac{1}{2}$
8	56	40
11	53	19
14	48	4
17	40	$30\frac{1}{2}$
20	30	14
23	16	$53\frac{1}{2}$
26	0	$8\frac{1}{2}$
28	39	42
31	14	17
33	46	$45\frac{1}{2}$
36	14	53
38	36	$31\frac{1}{2}$
40	54	32
43	8	2
45	16	47
47	20	$53\frac{1}{2}$
49	20	14
51	14	59

Atque

Atque ita porrò in quâlibet loxodromiâ; ut jam perquam expeditum fit, hanc continuationem longitudinum quamlibet longè producere.

Idem ALITÈR *et faciliùs.*

IDEM problema etiàm alitèr, et quidem multo faciliùs, abfque ullâ divifione abfolvetur, fi id modò rectè expenderis, quod fit, Quemadmodum radius ad tangentem complementi anguli datæ inclinationis, ita fcrupula propofitæ longitudinis ad canonicum.

Unde "quantum denis, centenis, aut millenis denique, fcrupulis cedat" facilis eft explicatio.

Ut fi proponatur anguli loxodromici inclinatio eadem quæ priùs, initio ab ipfo æquinoctiali derivato, nempe 58 gr. 54 fcr. tangens complementi hujus fuerit 6,032,386. Is numerus, per radium divifus, dabit $\frac{6032386}{10000000}$ numerum canonicum debitum uni fcrupulo; et $\frac{6032386}{1000000}$, pro fcrupulis 10, et $\frac{6032386}{100000}$ pro centum, atque ita in millenis deinceps. Cujus ratio è propofitionis factione et demonftratione manifefta eft. Cum enim numerus canonicus datæ latitudinis, per datæ loxodromiæ crus mecodynamicum fingulis parallelis debitum multiplicatus, exhibeat quadrantem fcrupulorum evariatæ longitudinis: ideò quadrans fcrupulorum evariatæ longitudinis per idem crus mecodynamicum divifus dabit numerum canonicum fuæ latitudini competentem. Atqui crus mecodynamicum in fingulis parallelis fub datâ inclinatione eft quadrans tangentis per radium divifi. Quamobrem erit, ut quadrans tangentis anguli inclinationis ad radium, ita quadrans fcrupulorum evariatæ longitudinis ad numerum canonicum latitudinis evariatæ; hoc eft, (fi primi et tertii affumatur quadruplum) ut tangens ad radium, ita fcrupula evariatæ longitudinis ad numerum canonicum evariatæ latitudinis, Atqui, quemadmodum tangens ad radium; ita radius ad tangentem complementi; quare ex æquo quoque erit, *Ut radius ad tangentem complementi anguli inclinationis datæ, ita fcrupula evariatæ longitudinis ad numerum canonicum evariatæ latitudinis.* Hoc eft, fi totus radius intelligatur fcrupula evariatæ longitudinis exprimere, jam canonicus numerus (qui ex divifione quartæ partis eorundem fcrupulorum per quantitatem cruris mecodynamici exftitiffet) effet tangens complementi inclinationis datæ. Ergò, fi fcrupulum affumatur evariatæ longitudinis 1, 10, 100, 1000, dabitur crus mecodynamicum eidem evariationi debitum; unde latitudinis evariatio ex ipfo canone dabitur.

Hinc itaque propofiti problematis abfque ullâ divifione folutio erit perfacilis. ut fi proponatur inclinatio 58 gr. 54 fcr. et longitudinis evariatio graduum 60, quæ funt fcrupula 3600. Erit igitur, Quemadmodum 10,000,000 ad tangentem complementi 58 grad. 54 fcrup. nempe 6,032,386, ita 3600 fcr. evariatæ longitudinis ad numerum canonicum parallelorum $2171\frac{6550600}{10000000}$, feu, quod idem fit (quia numeri canonici tantum ad 10,000 funt expofiti), ad 2171.6589, cui in tabulis canonicis competit latitudinis evariatio 34 gra.

Efto etiàm exemplum alterum curfûs à parallelo aliquo versùs polum proximum. Sitque eadem loxodromiæ inclinatio 58 gra. 54 fcru. cujus initium fit à

 parallelo

parallelo 24 graduum; atque eadem longitudinis evariatio ac priùs, scilicet, 60 graduum. Quare hic proportionis termini erunt iidem qui priùs, nempe, 10,000,000, et, tangens complementi, 6,032,386, et scrupula 3600; unde datur numerus canonicus 2171. 6589. Huic addendus est numerus canonicus 24 gr. nempe 1484. 0097. Summa hinc conflata dabit numerum canonicum 3655. 6686, qui è canone nostro dabit parallelum 51 gr. 54 scr. et pauxillo amplius. Huc usque igitùr isto cursu, atque istâ longitudinis evariatione, deventum fuerit.

Denique si eodem cursu, eâdémque longitudinis evariatione, ab eodem parallelo versùs æquinoctialem cursus fuisset institutus, jam à termino canonico 2171. 6589 invento canonicus 24 gr. erit deducendus, et dabitur reliquus 687. 5462, cui adjacent 11 gr. 23 scr. Et huc usque à parallelo boreo 24 gr. deventum sit hoc cursu ad parallelum austrinum 11 gr. 23 scr. Atque tanto hæc factio expeditior est priore; cúmque illic geminum opus et multiplicationis et divisionis subeundum sit, hìc solâ multiplicatione totum negotium absolvitur.

PROPOSITIO XXXIV.

Dato parallelo, longitudinis evariatione et loxodromiæ mensurâ; ejusdem inclinationem et latitudinis evariationem invenire.

ETIAMSI et hoc et antecedens problema ad usum nauticum parùm habeat momenti, tamen ut artis nostræ integritatem et perfectionem quàm evidentissimè demonstrem, utrumque proponere et proposito exemplo illustrare placuit. Hoc verò novissimum non nihil amplius difficultatis habet; quin adeò Robertus Hues, (qui hæc à nobis proposita problemata duntaxàt in iis septem loxodromiis, quæ in sphæricâ superficie describuntur, mechanicè tantùm explicat, et quidem admodùm ὁλοσχερῶς,) huic novissimo tale adscribit eulogium. "Non est quidquam in totâ hâc arte, quod difficilius sit inventu, quam Rumbus (ita, Nonium secutus, loxodromiam * vocat) ex dato intervallo et differentiâ longitudinis, neque aliàs quàm operosâ et sæpiùs iteratâ praxi et multis dimensionibus exquiri potest per globorum usum. Cúmque sit hæc praxis tam prolixa et tanti laboris, minùs est necessaria, aut prorsùs inutilis, quoniam longitudinis differentia difficultèr investigatur, ut suprà monuimus. Cujus inventionem utinam præstarent magni nostri ostentatores, ut liceret tandem aliquid ab his expectare præter nuda verba, vanas pollicitationes, et inanem spem." Et hæc ille; cum tamen nihil præter rudem factionis typum in omnibus ferè aut exhibeat, aut requirat, et qui ad loxodromiarum proprietates et affectiones exprimendum utcunque sit opportunus, in usu autem ipso parùm aut nihil habeat momenti. Nos hìc loxodromiarum inclinationes ad scrupula prima usque, et ad horum particulas quoque, si ita cuiquam libeat, inveniendi modum commonstrabimus.

Esto itaque primò cursûs instituti initium ab ipso æquinoctiali, ut loxodromiæ longitudo sit milliarium 800, et longitudinis evariatio 50 gr. 19 scr. Quæritur

* *Potiùs legendum videtur,* Loxodromiæ angulum seu inclinationem.

tur hujus loxodromiæ inclinationis angulus, et latitudinis ejusdem evariatio, huic longitudini et simul loxodromiæ magnitudini debita. Hìc ante omnia periculum est faciundum, utrum sub eodem parallelo sit navigatum, an verò per aliquam loxodromiam cursus sit institutus. Nam si propositi cursûs milliaria, per milliaria unius gradûs in parallelo unde initium factum est divisa, eandem evariatæ longitudinis quantitatem exhibeant, utique res ipsa loquitur, sub eodem parallelo cursum esse institutum, et in latitudine hìc nihil esse evariatum. Nam per propositionem undecimam, ut radius ad quadruplum secantis dati paralleli, ita quoque numerus milliarium ad scrupula in eo parallelo ipsis congrua. Ergò si sub æquinoctiali iter sit institutum, numerus milliarium quadruplicatus dabit scrupula ipsis debita: ut hìc 800 milliaria facerent scrupula 3200, qui sunt gradus 53 scr. 20. Atqui evariatio longitudinis exposita est 50 gr. 19 scr. unde efficitur, versùs minores parallelos cursum fuisse inclinatum, id est, per loxodromiam aliquam hoc cursu esse decursum. Reliquum est igitùr, ut tentando et conjectando ad quæsitum scopum collineemus, assumptâ primùm loxodromiâ * quâlibet, ut, putà, inclinatione 45 gr., ut constet suprâne an infrà hanc quæsita inclinatio pertingat. Id autem facile est. Cum enim per secundam praxin propositionis antecedentis sit; ut Radius ad tangentem complementi inclinationis, ita scrupula evariatæ longitudinis ad numerum canonicum; unde latitudinis evariatio quoque cognoscatur; hìc autem radius et tangens complementi æquentur: etiàm scrupula datæ longitudinis numero canonico erunt æqualia, quæ nunc sunt 3019. His porrò ad 10,000 reductis, quemadmodum numeri canonici sunt expressi, fiunt 3019.0000. Huic competunt latitudinis gr. 44, scr. $52\frac{1}{3}$, et inde dantur sub hâc inclinatione milliaria loxodromica $867\frac{0129}{100000}$; quæ sunt plura datis: ea enim sunt tantùm 800. Quare illud indicii satìs est, angulum inclinationis majorem esse loxodromiâ assumptâ; et contrà, si loxodromia inventa minor sit datâ, tùm minorem esse reverâ quàm sit assumpta. Quamobrem assumatur alia, et quidem major, inclinatio quàm priùs, scilicet, angulus 60 graduum. Hinc eâdem viâ, per secundam antecedentis propositionis factionem, dabitur numerus canonicus 1743. 0205, cui cedunt 27 gr. $52\frac{86}{100}$ scr. evariatæ longitudinis; atque inde loxodromiæ longitudo milliarium $811\frac{4300}{100000}$, quæ etiamnum major est propositis 800. Rursùm igitùr majorem, 10 gr. nempe 70 graduum, inclinationem assumam (hoc enim incremento eam inclinationem intrà denos gradus primùm concludes haud admodùm operosè) unde numerus canonicus existet 1098. 8260, et unde dabitur latitudinis evariatio 18 gr. $0\frac{721}{1000}$ scru. atque loxodromiæ quantitas $789\frac{9523}{100000}$, quæ est minor datâ; quod ipsum quoque indicium est, assumptam inclinationem majorem esse quæsitâ. Quamobrem constat intrà 60 et 70 gradus eam cöerceri. Hìc deinceps per quinos primùm tentandum censeo; unde constet, suprâne an infrà 65 gr. inclinatio quæsita consistat. Ego 66 gr. 15 scr. hìc assumpsi: unde numerus canonicus datur 1328. 3901, et inde latitudinis evariatio 21 gra. $36\frac{35}{100}$ scrup.; loxodromiæ autem longitudo milliarium $804\frac{7862}{100000}$, quæ est major datâ. Quare loxodromiæ quæsitæ angulus inclinationis hâc major erit; et tamen minor quam 70 gra. Assumantur igitur 68 gr. unde canonicus datur 1219. 7516, et latitudinis evariatio 19 grad. 55 scrup. loxodromiæ verò longitudo millia-

* Hìc per vocem *Loxodromiâ* auctor intelligit angulum, seu inclinationem, Loxodromiæ, seu curvæ Loxodromicæ.

rium $797\frac{5042}{10000}$; quæ eſt minor datis 800: unde planum eſt, hanc noviſſimè aſſumptam inclinationem majorem eſſe quæſitâ. Quamobrem cum ex iſtâ inductione liquidò conſtet angulum inclinationis quæſitæ intrà hos terminos 66 gra. 15 ſcr. et 68 grad. coerceri, licebit eâdem viâ ſemèl iteratâ adhuc anguſtiores limites haud difficultèr præfigere; ut intrà unius gradûs magnitudinem inclinatio quæſita cogatur: aut vel nunc jam per regulam falſarum poſitionum ex inventis ad minutum uſque propemodùm definire, hoc modo. Crus mecodynamicum in ſingulis parallelis ſub inclinatione 66 gr. 15 ſcr. eſt milliarium $\frac{56817}{1000000}$, et inde loxodromiæ quantitas ſuprà inventa $804\frac{7862}{10000}$ excedit ſummam propoſitam 800, milliaribus $4\frac{7862}{10000}$: et, ſecundò, ſub inclinatione 68 grad. datur crus mecodynamicum $\frac{61877}{1000000}$; unde loxodromiæ quantitas ſuprà fuit exhibita milliarium $797\frac{5042}{10000}$, quæ deficiunt ab expoſitis, ſive datis, (ſcilicet, 800,) quantitate $2\frac{4959}{10000}$ milliarium. Hos autèm numeros, ex hujus regulæ falſarum poſitionum formulâ, ordinabimus hoc modo.

$\frac{56817}{1000000}$	$+\ 4\frac{7862}{10000}$.	$2\frac{961556974}{10000000000}$
$\frac{61877}{1000000}$	$-\ 2\frac{4959}{10000}$.	$1\frac{418095503}{10000000000}$
	$7\frac{2821}{10000}$	$4\frac{379652477}{10000000000}$

Unde, multiplicatione ad decuſſim factâ, dabuntur numeri $2\frac{961556974}{10000000000}$, et $1\frac{418095503}{10000000000}$; et, quia ſigna ſunt diverſa, fiat additio. Unde dabitur diviſor $7\frac{2821}{10000}$ et dividendus $4\frac{379652477}{10000000000}$; quâ diviſione peractâ et ad ſuas milleſimas revocatâ, dabitur quotus $\frac{60143}{1000000}$, pro milliaribus evariatæ longitudinis in ſingulis parallelis. Cujus quadruplum 240,572 eſt tangens inclinationis per conſectarium propoſitionis 28: unde ipſe inclinationis quæſitæ angulus datur 67 gra. 26 ſcr. Atqui hinc dabitur numerus canonicus 1254. 6360, et evariatio latitudinis 20 gr. $27\frac{2}{3}$ ſcr. atque loxodromiæ longitudo $799\frac{56}{100}$ milliarium, cum debeant eſſe 800. Ergò paucis ſcrupulis, inclinatio erit major, utpote 67 grad. 30 ſcr. exactè, quem terminum calculus iteratus exhibebit. Eadem via obtinet in reliquis, ſi forte loxodromiæ initium ab ipſo æquinoctiali non ſumatur. Atque ita hujus theoriæ, et ſimùl libri primi, finis hic eſto *.

* Hoc Problema à doctiſſimo viro, Edmundo Halley, anno Domini 1695, ſeu pluſquam ſeptuagintà annis poſt hujúſce Libri, à Snellio ſcripti, impreſſionem, eruditis Angliæ Mathematicis propoſitum eſt tanquam novum omninò problema, quod nunquam anteà aut ſolutum aut etiàm tentatum fuerat: unde colligi poteſt hunc Snellii tractatum ab illo nunquam fuiſſe viſum: quod tamen mirum quodammodò videri neceſſe eſt in homine qui non ſolùm in Mathematicis Scientiis erat multùm et felicitèr verſatus, ſed etiàm navigandi artem percalluiſſe cenſebatur, immò et ipſe, ut navis magiſter, exercuerat in longâ navigatione ab Angliâ uſque ad inſulam Sanctæ Helenæ ultrà Æquatorem ſitam. Vide initium tractatûs antecedentis hujúſce tomi quarti *Scriptorum Logarithmicorum*: in quo tractatu Solutio directa et generalis hujus Problematis, ſanè admodùm ſubtilis et abſtruſi, exhibetur, et pleniſſimè et luculentiſſimè explicatur; quæ à ſolertiſſimo viro, Georgio Atwood, A. M. (ante annos aliquot apud Cantabrigienſes Collegii Sanctæ Trinitatis Socio,) nupèr inventa fuit, et mecum communicata. Hæc quidem Solutio generalis eſt omninò ſcientifica, et eſt talis, ut opinor, qualem Halleius videre optaverat, et à quâdam ſerie infinitâ Logarithmicâ, à Jacobo Gregorio olìm, anno Domini 1671, inventâ, derivatur. Sed, licet verè ſcientifica ſit iſta Solutio generalis, ad uſus tamen nauticos non tàm commoda eſſe mihi videtur quàm præcedens Snellii Solutio ejuſdem problematis his paginis declarata, quæ non niſi tentando perficitur: quoniam hæc tentamina, quanquam ſæpiùs iteranda, minus exigunt laboris quam ſimplex et directa applicatio ſolutionis iſtius generalis, et tamèn, in fine calculi, magnitudinem anguli quæſiti, ſeu inclinationis Loxodromiæ ad Meridianum, non minus exactè definiunt. In materiâ autèm tàm ſubtili et difficili utraque Solutio valdè utilis eſt cenſenda, quoniam altera alteram confirmat.

F. M.

WILLE-

WILLEBRORDI SNELLII

HISTIODROMICES

LIBER SECUNDUS,

DE EJUS PRAXI:

SIVE,

DE NAUTICÆ DIVINATIONIS EMENDATIONE.


HACTENÙS loxodromiarum affectiones omnes inſpeximus, et accuratè ſumus contemplati, ut earum inclinationes per gradus et ſcrupula, atque alias minimas quaſque particulas, explicare et perſequi liceat. Sequitur earum uſus; ut quantum maritima praxis nobis addicat, quantúmque fidei ei ſit habendum, deinceps videamus. Et primùm quidem de numero loxodromiarum vulgò recepto.

PROPOSITIO I.

Loxodromiæ principales in ſingulis quadrantibus ita ordinantur ut inter meridianum et loci parallelum ſeptem intercidant, quæ angulum rectum in octò æquales partes diſpeſcant; quæque et ipſæ iterùm in ſemiſſes et quadrantes ſubdividuntur.

LOCI cujuſque parallelum ab ejuſdem meridiano normalitèr ſecari, ex elementis ſphæricis notum eſt; atque hâc ſectione mundi plagas in quatuor quadrantes diſparari, lib. 1, propoſitione 7, demonſtravi: à meridiano nempe ſeptentrionem et auſtrum, à parallelo autem ortum et occaſum deſignari. Id in plano rectis ſeſe normalitèr ſecantibus exprimi ſolet, quæ lineæ ſunt tanquam tangentes hos circulos in communi illarum ſectione. Ut, ſi propoſiti loci linea meridiana ſit EO, et ejuſdem verticalis primarius UI: túmque E ſeptentrionem ſpectet, O meridiem, I ortum, U occaſum. Hìc OE lineæ ductum ſecutus meridianum.

meridianum obibis, et maximum ideò circulum defcribes à meridie in feptentrionem, aut contrà. Si verò fequaris lineam UI, et A punctum fub ipfo fit æquinoctiali, tum UI continuata terræ æquatorem defignabit: aut fi extrà eum alibi fit in fphæræ obliquæ fitu, circulum aliquem ipfi parallelum. Atque ita uterque hic curfus circulum nobis defignat per prop. fextam et feptimam libri primi; anguli autem intermedii in fingulis quadrantibus non item, per propofitionem 15. Hos vulgò rei maritimæ periti ad ufum navalem in octò æquales partes diftribuunt, ut anguli inclinationum, facto initio à meridiano, inter fe 11 graduum et 15 fcrupulorum intervallo diftent. Ut hic EA*y*, *y*A*s*, *s*A*r*, atque ita porro. Atque hinc adeò in fingulis quadrantibus octò conftituuntur curfus, ut primus à meridiano diftet intervallo 11 gr. 15 fcr. E quibus feptèm primi loxodromici fint, octavus autem, qui per UI educitur, loci ipfius parallelus; et angulus inclinationis primæ loxodromiæ fit EA*y* 11 gr. 15 fcr. fecundæ EA*s* 22 gr. 30 fcr. tertiæ EA*r* 33 gr. 45 fcr. quartæ 45 gr. 0 fcr. quintæ 56 gr. 15 fcr. fextæ 67 gr. 30 fcr. feptimæ 78 gr. 45 fcr. octavus autem curfus, qui nonagefimum implet gradum, eft κυκλοειδής. Atque ita totius mundi confpectus per quatuor quadrantes in duas et triginta plagas tribuitur. Naucleri fua habent vocabula quibus fingulas plagas pro confuetudine gentis appellent; quarum nomenclaturas finguli è vernaculo idiomate exprimunt. Nobis autem in arte fatìs erit ab ordine et fucceffione illas indigitare, vocando eas primam, fecundam, tertiam, atque ita porrò; quemadmodum paulò ante expreffi. Nomina et appellationes ufitatas, et quemadmodum eandem felicitatem græcâ compofitione affequamur, videto in fcholis. Verùm ifta unius quadrantis octifaria diftributio accuratioribus de arte navigandi fcriptoribus non fatisfacit; fed ab aliis octava quævis pars quadrantis etiàm biffecatur; ab accuratiffimis verò etiàm quadrifecatur, ut ita in fingulis quadrantibus exiftant curfus 32, et in toto circulo 128: fed has tantùm per plagarum quadrantes, femiffes et dodrantes explicant, neque ullis novis nominibus defignant, ne fectionis fubtilitas memoriæ gravis fit. Sequitur canonum ad has inclinationes et inclinationum particulas ordinatio et conftructio.



PROPOSITIO II.

Loxodromici canones πρόχειροι habent in confuetis inclinationibus latitudinis evariationem, atque loxodromiæ ipfius et cruris mecodynamici quantitatem ei debitam in milliaribus è regione expreffam.

LIBRI primi propofitione vicefimâ demonftratum eft, quomodo datâ latitudinis evariatione feu differentiâ, cum angulo inclinationis, curfûs quantitas intrà pofitos parallelos deprehendatur. Ut fi exponatur intervallum latitudinis gr. 40, et inclinatio loxodromiæ 60 gr. erit igitur, *quemadmodum radius ad quadrantem*

quadrantem secantis anguli inclinationis; ita scrupula evariatæ latitudinis ad milliaria loxodromiæ propositæ. Nempe ut 100,000 ad 50,000, ita 40 gradus, hoc est, scrup. 2400, ad milliaria 1200, quæ loxodromiæ quantitas benè accurata est. Cruris autem mecodynamici longitudo invenietur per propositionem 27. *Ut enim radius ad quadrantem tangentis datæ loxodromiæ, ita latitudinis evariatæ minuta ad milliaria cruris mecodynamici.* Utpote, quemadmodum radius 100,000 ad quadrantem tangentis 60 graduum, hoc est, ad 43,301; ita scrupula evariatæ latitudinis, ad milliaria mecodynamica 3039$\frac{2240}{10000}$. Et contrà; datis milliaribus cursûs loxodromici, dabitur evariatio latitudinis in gradibus et scrupulis, cum longitudine cruris mecodynamici per propositionem 19, et . . . Verùm ut hoc tabularum tædio leventur ii, qui minùs his tractandis adsueverunt, et ad usum quotidianum expeditius sit: visum est hos numeros, in consuetis loxodromiis, et earum semissibus et quadrantibus, subductos, exhibere; quos, quia semper in promptu et ad manum navarchis esse debent, *Canones* προχείρες indigitavimus. Harum autem ordo et dispositio ita habet, ut anguli inclinationis differentia per quadrantes unius octantis recti anguli increscat. Cum enim primariæ loxodromiæ per 11 graduum et 15 scrupulorum intervallum inter se disjungantur, hìc canones exhibemus per hujus intervalli quadrantes, nempe 2 gr. 48 scr. 45 sec. disjunctos. Ergò primus canon habet titulum ¼; secundus, (cujus inclinatio est 5 gr. 37 scr. 30 sec.) habet titulum ½; tertius, (cujus inclinatio est 8 gr. 26 scr. 15 sec.) habet titulum ¾; quartus habet titulum 1, seu primæ loxodromiæ, cujus angulus inclinationis est 11 gr. 15 scru. Verùm omnium conspectum unico canonio exhibere satius sit, ubi loxodromiæ earúmque partes cum suis inclinationum angulis è regione annotati exhibentur, quemadmodum hic vides.

	inclinatio.				*inclinatio.*				*inclinatio.*				*inclinatio.*		
lox.	gr.	scr.	sec.	lox.	gr.	scr.	sec.	lox.	gr.	scr.	sec.	lox.	gr.	scr.	sec.
¼	2.	48.	45.	2¼	25.	18.	45.	4¼	47.	48.	45.	6¼	70.	18.	45.
½	5.	37.	30.	2½	28.	7.	30.	4½	50.	37.	30.	6½	73.	7.	30.
¾	8.	26.	15.	2¾	30.	56.	15.	4¾	53.	26.	15.	6¾	75.	56.	15.
1	11.	15.	0.	3	33.	45.	0.	5	56.	15.	0.	7	78.	45.	0.
1¼	14.	3.	45.	3¼	36.	33.	45.	5¼	59.	3.	45.	7¼	81.	33.	45.
1½	16.	52.	30.	3½	39.	22.	30.	5½	61.	52.	30.	7½	84.	22.	30.
1¾	19.	41.	15.	3¾	42.	11.	15.	5¾	64.	41.	15.	7¾	87.	11.	15.
2	22.	30.	0.	4	45.	0.	0.	6	67.	30.	0.				

Tot enim canones ordinavimus, ut cursûs navalis minimas quoque particulas, quas in praxi notant, exprimeremus. Omnium autèm ordo est consimilis, ut unum cum nôris, omnes nôris. Exemplo esto nobis Canon primus cui titulus ¼, pagina 30, ubi primâ selide habes latitudinis evariationes per gradus singulos; inde à decimo per denos, usque ad octogesimum inclusivè: è regione selide secundâ, milliaria loxodromica hoc cursu primùm uni gradui debita, nempe 15.0180, quæ sunt 15$\frac{180}{10000}$ milliaria. Ita enim milliarium particulas ad 10,000 quoque sumus prosecuti. Tum selide tertiâ quantitatem milliarium mecodynamicorum

amicorum ſub ſuo titulo, nempe 7. 3690, ſive milliaria $7\frac{3690}{10000}$; atque ita deinceps quantum duobus, tribus, decem, viginti, gradibus competat. Jnde ſelide quartâ, quintâ, ſextâ, ſeptimâ, octavâ, nonâ, quantum ſcrupulis 1, 2, 3, 4, 5, cæteriſque deinceps ad 60 uſque, debeatur. Similis omnium eſt ſyntaxis. Ipſos autem canones in libri calcem rejecimus, et poſt *Parallelorum canonica* ordinavimus. Uſus autem eſt perfacilis ex ipſâ διαθέσει.

PROPOSITIO III.

E loxodromiarum uſitatarum inclinatione et magnitudine, ex variatæ latitudinis quantitate, cruris μηκοδυναμικȣ longitudine in milliaribus, datâ unâ reliquas duas per canones πρoχείρȣς exhibere.

HÆC praxin et uſûs facilitatem ſpectant: primo enim libro iſta particulariter et fusè ſumus in minutiſſimis quibuſque particulis proſecuti. Nunc iſtos limites et angulos tantùm ſequimur, quos conſuetudo recepit; qui cum certo numero comprehendantur, totidem canones concenturiavimus, unde uno dato reliqua in conſpectu ſint. Hi ab expeditâ facilitate canones πρόχειροι nobis dicuntur, quia ſemper ante oculos et *in manibus* hìc verſari debent. Quamvis enim (ut ſæpiculè jam à nobis dictum eſt) loxodromiarum numerus ſit infinitus, et per ſingula ſcrupula ſcrupulorúmque partes multiplex ejus angulus eſſe poſſit; tamen, cum neque magneticæ acûs fallacia, neque ponti agitatio, præciſam angulorum in gradibus et minutis æſtimationem admittat: ideò uſui ſatìs opportunum, quantam quidem hæc res ἀκρίβειαν admittet, in praxi judicatur, ſi ſingulæ loxodromiæ intervallo 2 gr. $48\frac{3}{4}$ ſcr. inter ſe diſtent; ita enim totus quadrans in duas et triginta partes diſpeſcitur. Atque ita ſingulis ſuos proprióſque canones deſtinavimus, ſecundùm leges antecedente propoſitione expreſſas. Uſus itaque in promptu erit. Ut ſi quæratur angulo loxodromiæ ſeptimæ, intrà parallelos 50 ſcrupulis diſtantes, quantum itineris ſit confectum, quantúmque ſit crus mecodynamicum in milliaribus æſtimatum; inquirito itaque in canonibus iſtis ſub loxodromiâ ſeptimâ ſcrupulum quinquageſimum; ubi è regione in laterculo primo dabitur loxodromiæ quantitas quæſita milliarium 64. 0729, ſeu $64\frac{729}{10000}$; et crus mecodynamicum $62\frac{8501}{10000}$.

Si ſimùl uno nomine numerus differentiæ latitudinis in canonibus loxodromicis non detur, per partes erit inducendum; quæratur quantitas loxodromiæ et cruris mecodynamici inter parallelos 27 gr. 35 ſcr. disjunctos; inductio fiet per partes. Hoc modo.

		loxod.	crus mecodyn.
gr.	20	701. 6639	634. 2667
	7	245. 5824	222. 0038
ſcr.	35	20. 4652	18. 5003
		967. 7115	874. 8008

His

His in unam ſummam additis dantur milliaria loxodromica $967\frac{7}{10}\frac{1}{100}\frac{1}{1000}\frac{5}{10000}$, et mecodynamica $874\frac{8}{10}\frac{0}{100}\frac{0}{1000}\frac{9}{10000}$.

Et contiâ, datâ inclinatione loxodromiæ atque ejuſdem quantitate in milliaribus æſtimatâ, dabitur è prochîris his canonibus evariatio latitudinis, cum milliaribus mecodynamicis. Eſto navigatum angulo inclinationis loxodromiæ $5\frac{3}{4}$, et curſûs longitudo æſtimata ſit milliarium $697\frac{7}{10}\frac{1}{100}\frac{1}{1000}\frac{5}{10000}$, et quæratur parallelorum diſtanti a à principio, ad curſûs finem, ſeu latitudinis evariatio. Id ſubductionis contrariâ viâ abſolvetur per partes, quia totum ſimùl non datur. Hoc modo.

loxodrom.		
967. 7115		
701. 6639	20	grad.
266. 0476		
245. 5824	7	
20. 4652	35 ſcrup.	

Hinc cruris mecodynamici quantitas dabitur, ut ante. At ſi loxodromiæ quantitas non exactè inveniatur in ipſis ſcrupulis, opus erit parte proportionali, ut ſolet, ſi forte tanti erit, ut proximè vicinum ſcrupulum aſſumere nolis. Erit autem tanti in obliquioribus curſibus, ubi inter parallelos uno ſcrupulo diſjunctos loxodromiæ pars non contemnenda intercipitur; et ideò quoque cruris mecodynamici pars majuſcula: quod hinc ipſa longitudinis evariatæ æſtimatio à legitimâ diffidens exiſtat: maximè verò, ſi in parallelis arctioribus ea ſit æſtimanda. Illic enim unum aut alterum milliare non parùm longitudinem à legitimo ſitu abduceret. Sed hæc non ſunt nimìs ſcrupuloſè inquirenda, ubi opus non erit; aut contrà nimìs negligentèr habenda, quando alicujus erunt momenti. Ego unico exemplo præibo. Sub loxodromiâ $7\frac{1}{4}$ curſûs longitudo ſit milliarium $82\frac{8}{10}\frac{3}{100}\frac{7}{1000}\frac{5}{10000}$, hic è canonibus prochîris datur evariatio latitudinis o gr. 32 ſcr. hoc modo.

82. 8375	35 ſcr.
81. 6183	
1. 2192	

Et redundant milliaria $1\frac{2}{10}\frac{1}{100}\frac{9}{1000}\frac{2}{10000}$. Inde verò fit hæc proportio; 2.5505 dant 60 ſec. ergò 1. 2192 dabunt 29 ſec. Ego ad 100 ſcrupulorum reducere ſoleo, nempe ut 2.5505 ad 100; ita 1. 2192 ad 48. erit ergò vera latitudinis evariatio o gr. $35\frac{4}{10}\frac{8}{100}$ ſcr. Unde cruris mecodynamici quantitas dabitur.

81. 2253	35 ſcr.
1. 2183	$\frac{4}{10}\frac{8}{100}$
82. 4436	

Vides itaque, amplius $1\frac{1}{7}$ milliaris accedere cruri mecodynamico; quæ ut ſub ipſo æquinoctiali 5 ſcrupulis longitudinem evariant, ita ſub parallelo ſexageſimo faciunt ſcrupula penè 10. et ultrà parallelum ſexageſimum faciunt adhuc amplius. Hæc obitèr tantum monere viſum eſt. Tu, pro tui judicii æquitate, quanti ea res ſit, tanti quóque ſuo loco æſtimato, et cum modo.

NOTA.

Cruris mecodynamici uſus rarus, aut omninò nullus eſt in curſibus ſingularibus; ubi è ſingulis longitudinem debitam invenire cupias; ut in ipſo mari nautæ quotidiè aſſolent. Illìc enim ſegmentum cruris mecodynamici, niſi, manente eâdem cruris mecodynamici quantitate, latitudini differentiam aliam à datâ inducas, uni parallelorum congruum ſatìs eſt longitudini inveniendæ: aut cum è pluribus et diverſis curſibus longitudinem conflare voles, et quidem ſemèl ad extremum tantùm: illìc enim neceſſariò adhibebitur, quemadmodum ea generalitèr lib. 1, dicta nobis ſunt. Sed ante nautici diarii formula nobis erit explicanda, in quod curſuum æſtimata quantitas et inclinatio ab ipſis quotidiè, et quoties opus eſt, referri ſolet.

PROPOSITIO IV.

Ephemerin itinerariam nauticam ordinare.

DIARIA nautica à peritis et diligentibus navium magiſtris ſedulò et accuratè quotidiè conſcribuntur, et per ſuas ſelides ac laterculos diſpunguntur, ut inde curſûs confecti longitudinem, varietatem, inclinationem, obſervatam de cœlo latitudinem, ventorum flatus, impetum; aëris quoque temperiem; et, ſi quæ alia ſint, quæ accuratiùs notari expediat, ut conſpectum promontoriorum inſularúmve, curiosè exprimant; ídque iſto ferè modo, quem hic verbi gratiâ ex parte expreſſum vides; ut ſingulis ſelidibus ſuus ſit titulus in fronte, laterculi diebus menſium anni cujuſque, quo hæc itinera ab ipſis ſunt confecta, reſpondeant. Ita enim ſemper itineris confecti ſpatia, ſi forsàn uſpiàm titubatum ſit, relegere, et in tabulis ſuis hydrographicis diſpungere ac emendare, ipſis perfacilè licet.

TABELLA

TABELLA DIARIA,

SIVE

EPHEMERIS NAUTICA.

	Dies	Velificationis curfus.	conf. mil.	altitudo poli obfervata.
Julii	16	O. Z. O.	18	
	17	O.	4	
		Z. O. t. O.	13	
	18	O. Z. O.	14	
		O. Z. O.	3	
		W. Z. W.	11	
		W. t. Z.	1½	
	19	Z. O. t. Z.	2½	
		Z. O. t. Z.	5	
	20	Z. Z. O.	14	
		Z. Z. O.	2	48, 38
		Z. W.	7½	
	21	Z. O. t. O.	4	
	22	O. Z. O.	24	
	23	Z. O.	29	
		Z. O. t. Z.	31	
	24	Z.	5	42, 54
		Z.	24	
	25	Z. t. W.	5	
	26	Z.	24	
		Z. Z. W. ¼ Z.	12½	
	27	N. O. t. O.	5	
	28	O. N. O. ¼N.	16	
	29	O. t. N. ¼ N.	16	39, 16
		O. ¼ Z.	6½	
		O. t. Z.	5	
	30	O.	8½	39, 24
Augnft.	1	O.	23½	
	2	O.	38	39, 13
		O. t. Z.	17	
	3	O.	14	38, 58
	4	O.	5	38, 50

Quartâ Augufti appulimus ad infulam *Fajael*, unam earum, quas Flandricas vocant.

TABELLA DIARIA, SIVE EPHEMERIS NAUTICA.

		Curfûs plaga.	milli aria.	latitudo obfervata.
Auguft.	23	O. N. O. $\frac{1}{4}$O.	4$\frac{1}{2}$	
	24	O. N. O. $\frac{1}{2}$O.	16	
		Z. O.	1$\frac{1}{2}$	
		Z. O. $\frac{1}{2}$Z.	2	
	25	N. O. $\frac{1}{2}$N.	4	
	26	N. N. O. $\frac{1}{2}$O.	16	
	27	N. O. t. N.	16	
	28	N. N. O.	14	
	29	N. N. O.	17	
	30	N. t. O.	9$\frac{1}{2}$	
		N. N. W.	1	
	31	O. Z. O.	9	
		Z. O. t. O.	4$\frac{1}{2}$	
Sept.	1	Z.	7	42, 52
	2	O. t. Z.	5	
	3	O. t. Z.	18	
	4	O. t. Z.	31	
	5	O. t. Z.	37	
		O. t. N.	22	
	6	N. O. $\frac{1}{2}$N.	9	
	7	N. N. O. $\frac{1}{4}$O.	26	42, 42

Hoc curfu denique octavâ Septembris appulimus ad promontorium Hifpaniæ vulgò dictum *Caput finis Terræ*, quâ longiffimè in occidentem procurrit in orâ feptentrionali; Ptolomæo Nerium promontorium.

Nos tres duntaxàt felidas exhibemus: qui volent, plures adjiciant, quemadmodum initio monuimus; has enim tanquàm maximè neceffarias, et quæ omninò negligi non debent, ὡς ἐν τύπῳ tantùm propofuimus. Nam in maritimis itineribus illis longioribus, quibus Indiam utramque adeunt, etiàm fuam felidem acûs magneticæ χαλυβόκλισι dari, quam maximè expediet. Eâ enim res in medio mari errantibus naucleris, tanquam fignum et fcopulus proponitur, ex quo de curfûs fui rationibus æftimationem faciliùs capere poffint. Cum enim fub eodem parallelo eandem chalyboclifin deprehenderint, etiàm de longitudinis et meridiani fitu eodem certiores fiunt. Verùm hæc materia ab aliis occupata eft; et Stevino noftro occafionem fcribendæ fuæ Limeneuretices fuppeditavit: quem

quem vide in opere Hypomnematum Mathematicorum ILLUSTRISSIMI Principis MAURITII, quod olim à nobis latinè redditum et publicatum eſt.

PROPOSITIO V.

Curſus maritimus eſt ſimplex, aut compoſitus.

ID de nauticis ad magneticam acum examinatis omnibus curſibus intelligatur: aut enim eodem tramite à principio ad finem decurritur; aut pluribus et diverſis inter ſe permixtis. Ita enim diſpunximus, ut emendationi nauticæ, ad quam contendimus, tractandæ ſuus ordo conſtet.

PROPOSITIO VI.

Simplex eſt, qui unicum et eundem ſui ductûs curſum ſequitur.

UT ſi rectâ eatur à ſeptentrione in meridiem; aut per eundem parallelum decurratur; aut denique ſecundùm unam aliquam et eandem loxodromiam curſum dirigas.

NOTA.

Quemadmodum è ſingulorum curſuum datâ quantitate, latitudinis aut longitudinis evariatio inveniatur, libro primo accuratè fuit à nobis expoſitum. Et primò quidem:

1. Quomodo datâ curſûs quantitate à ſeptentrione in auſtrum, latitudinis evariatio detur, (nam hic longitudinis evariatio nulla eſt) propoſitione 6. *Nempe 1 milliare facere ſcrupula 4, et 15 milliaria gradum unum.*

2. Quomodo datâ curſûs quantitate ſub eodem parallelo longitudinis evariatio detur, (nam hic latitudinis evariatio nulla eſt) propoſitione 11. Nempe, *ut radius ad quadruplum ſecantis dati paralleli, ita milliaria quotcunque data ad numerum minutorum evariatæ longitudinis.*

3. Quomodo datâ inclinatione et curſûs loxodromici quantitate, latitudinis et longitudinis evariatio inveniatur; propoſitione 19 libri primi de latitudinis evariatione, et propoſitione 30, de evariatione longitudinis. Nempe, *ut radius ad quadrantem tangentis loxodromiæ, ita numerus canonicus intervallo evariatæ latitudinis debitus ad ſcrupula evariatæ longitudinis.*

Hæc prima in loxodromicis factio eſt; altera quoque per canones προχείρους explicatu eſt perfacilis. Atque hæc quidem ex obſervatione inclinationis acûs magneticæ, et itineris confecti æſtimatione; ſequitur utriuſque cum obſervatione cœleſti comparatio.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Et cursus, et plagæ atque inclinationis ejusdem æstimata quantitas, ex loci latitudine de cælo observatâ comprobatur, aut secundùm eandem emendatur.


CUM navium magistri in fluctuante salo diligentissimè cursûs velocitatem, et ejusdem plagæ situm observaverunt, qui aliquando in ipso meridiano instituitur, aut, ut frequentissimè, aliquem angulum cum meridiano comprehendit: tamen eos persæpe in hâc conjecturâ falli experientia comprobavit. Hujus autem hallucinationis examen est paralleli è cursu et loxodromiâ æstimati consensus, aut discrepantia ab latitudine loci de cœlo observatâ. Cum enim observatio, quam è sole aut sideribus derivant, alium ostendet parallelum, quam ipsi ex æstimato itineris cursu, vel circulari, vel loxodromico deducunt; necesse est, alicubi errorem hærere, nempe vel in itineris æstimati longitudine, vel in cursûs situ et angulo loxodromico, vel denique in observatione cœlesti. Sed cum istæ quotidiè possint iterari, et dies diem docere; illa autem non possint relegi; hanc tanquam normam, ad quam illæ componi debeant, et ducem minùs fallacem, meritò sibi delegerunt. Certè adeò arctus omnium consensus esse debuit, ut positis duobus, tertium constantèr addiceretur: ut, nempe, cursûs plagâ à dato principio, et ejusdem quantitate datâ, loci latitudo inde concludatur: aut ex inclinatione et latitudinis evariatione, ipsius cursûs quantitas: vel è latitudinis evariatione et cursûs quantitate, ejusdem inclinatio. Verùm ut ista ad amussim consentiant, vix est ut in tantâ lubricitate sperari possit. Itaque remedium huic errori quæsitum, quod minimum à vero abludat. Nam vel ex variato non-nihil angulo; vel cursûs quantitate evariatâ; vel ex utroque id erat constituendum. Sed anguli evariatio, manente cursûs observati quantitate et latitudine inventâ ex observatione, in rectioribus loxodromiis nimiùm est periculosa; et in reliquis quoque; si observatio à conjecturâ plusculum abludat, uti in scholis docebitur: quantitatis autem cursûs loxodromici variatio, manente tamen angulo in loxodromiis magìs obliquis, maximè lubrica est, quemadmodum ibidem ostendemus. Superest itaque unica hæc factio, quæ viam inter utramque mediam insistat, et utrobivis æquè sit tuta. Ea autem gemina esse potest: ut et angulo inclinationis, et cursûs æstimatæ longitudini hic error paritèr imputetur. Receptum autem naucleris et usitatum est, ut retentâ longitudinis evariatione; latitudinis evariatio tantummodò mutetur. Nos autem factionem paulo ab hâc ratione diversam sequemur, quæ minimè intuta aut periculo obnoxia videatur: reliqua in scholis examinaturi, et, quod illi mechanicè ac nimiùm lubricè conantur, per tabulas nostras quàm accuratissimè explicaturi.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Si rectà in septentrionem aut meridiem contendenti cursûs quantitas æstimata ab observatæ latitudinis evariatione discrepet, cursûs limes in observato parallelo erit constituendus.

NAVIS ex *a* sub parallelo 50, digressa, acu monstrante visa sit tenere cursum sub eodem meridiano, quem cursum navis magister milliaribus quidem 27, taxet. Ut tamen suæ æstimationis veritatem exploret, constituit cœlestes observationes adhibere in consilium; è quibus deprehenderit se isto momento versari sub parallelo 52. Cum igitùr milliaria 27 maritima æqualia sunt 1 gr. 48 scr. efficitur ex hac cursûs æstimatâ quantitate, ipsum versari sub latitudine 51. gr. 48. ut, putà, in *i*; ex observatis autem in puncto *e* sub parallelo 52. octo scrupula ultrà. Contrà, si æstimata latitudo major sit observatâ, conjecturæ erit derogandum, et locus sub observato parallelo collocandus. Sit enim cursus æstimatus *a o* milliarium 51 seu 3 gr. 24 scr. et *o* punctum igitùr sub latitudine 53 gr. 24 scr. at observatio tantùm addicat 53 gr. 12 scr. Jam tanto minorem assumam latitudinem, et navem statuam in puncto *e*. Atque ita de cœlo conjecturam emendabis. Neque ideò tamen hæc cursûs confecti divinatio frustrà, aut incassùm instituta videri debet, quamvis hic cursûs mensura, cum rectà in septentrionem aut meridiem contendas, ex ipso cœlo inveniri possit; quia ex hâc comparatione paulatìm quantum conjecturis reliquis, et æstimato itineri sit tribuendum ex usu cognosco. Quìn adeò, si aliquot diebus et noctibus nulla serenitas affulgeat, neque de cœlo observandi potestas detur; huc utique tanquam ad sacram anchoram erit confugiendum: ne imprudens te tuáque eas perditum, cum eo casu nullum certius argumentum uspiam suppetat. Cæterùm cum hæc discrepantia vel à cursûs inopinatâ intensione aut remissione, vel ab occultâ maris agitatione et motu obrepserit, id quidem ut ignores, cælestium tamen observationi subscribes, et tuis conjecturis fidem derogabis. Certè quidem, cum cursûs æstimatio observatâ latitudinis evariatione major erit, ídque aliquot continuis diebus eveniat; evidens est, errorem hunc in conjecturâ et æstimatione tuâ hærere; et à maris impetu cursûs velo citati remoram factam. At verò cum minor erit æstimata cursûs quantitas, quàm evariatæ latitudinis observatio addicat, hic cursus non semper in eodem meridiano ad illum parallelum revocandus tibi erit.



Quamobrem CAUTIO est. Si id sæpiùs, et quasi continuis observationibus contingat, ut æstimati cursûs quantitas continentèr minor deprehendatur observatâ latitudinis evariatione: id enim indubitatum erit indicium, te maris motu transversìm abreptum; quamvis acus magnetica sub uno eodémque meridiano cursum institutum arguat. Atque eo casu prudentèr et circumspectè ex quantitate cursûs ad observatum parallelum, loxodromiam pro meridiano assumes, et angulum lóxodromicum quoque talem, quemadmodum id quantitas cursuum

æstimatorum

æſtimatorum poſtulabit. Neque tamèn hâc adhibitâ emendatione ſatìs conſtat, utrum occulto illo maris motu in ortum an in occaſum, hoc eſt, dextrorsùm an ſiniſtrorsùm loxodromia tua inclinet: donec aliquo inſularum aut terrarum occurſu, aut ex obſervationibus navarchorum qui id pelagus ſæpiùs frequentaverunt, didiceris in quam partem aquarum cumuli ferantur: id enim ferè in illis locis certis temporum intervallis perpetuum eſt et ſolemne. Talis utique maris impetus naves à ſeptentrionali Americæ littore versùs Angliam furtìm abripit, qui in ſinu Africano infrà Guineam verſùs ortum omnia agit et rapit; atque ita aliis in locis etiàm alitèr. Hujus exemplum tale eſto. Ab inſulâ *Bellâ*, vulgò ita dictâ, ſub parallelo 52 in littore Americano, navigatum ſit rectà in meridiem, ut videbatur, ídque iter nauticâ æſtimatione taxetur milliaribus 50, quæ faciunt evariationem latitudinis 3 gr. 20 ſcr. Unde datur loci latitudo 48 grad. 40 ſcr. De cœlo autem obſervata poli altitudo ſit 49 gr. 50 ſcr. Cum hic adeò enormem diſcrepantiam inter æſtimatam et obſervatam latitudinem deprehendam, non continuò ad obſervatum parallelum tranſibo; ſed iterùm æſtimatam latitudinem cum denuò obſervatâ poſtero die contendam. Hic ſi rursùm conjectura mea abludat ab obſervatione, et latitudinis æſtimatæ differentia iterùm major ſit obſervatâ: Id mihi ſatìs erit indicii maris latente impetu navem in latus furtìm abreptam, neque ſub uno eodémque meridiano curſum hunc continuatum: ſed loxodromico aliquo iter confectum. Atque ideò ex datâ latitudinis ſecundùm obſervationem differentiâ, et itineris æſtimatâ quantitate angulum inclinationis inveſtigabo per propoſitionem 21^{mam} libri primi; *ut enim curſûs æſtimati milliaria, ad quadrantem ſcrupulorum evariatæ latitudinis, ita eſt radius ad ſinum complementi anguli inclinationis.* Milliaria curſûs hìc dantur 50, ſcrupula evariatæ latitudinis 130. Unde proportio, ut 50 ad $\frac{130}{4}$, ita 100.0000 ad ſinum 65.0003, nempe 40 gr. 33 ſcr. cujus complementum 49 gr. 27 ſcr. datur pro angulo inclinationis quæſito. Atque hinc jam, per propoſitionem 30 lib. primi, dabitur evariatio longitudinis quæſitæ. Nempe, ut 10,000 ad quadruplum numeri canonici, qui huic parallelorum intervallo competit à 49 gr. 50 ſcr. ad 52 gr. ſcilicet, 824. 8580, ita quadrans tangentis anguli inclinationis $\frac{21390}{10000}$ ad ſcrupula longitudinis evariatæ 176$\frac{4}{100}$, qui ſunt gradus 3, ſcr. 16$\frac{1}{2}$. Tanto itaque intervallo à tuo meridiano abiviſti diverſus. Neque tamen ullo indicio adhuc conſtat, in ortúmne an verò versùs occaſum latens et inobſervabilis maris vis navem ſubduxerit à tuo meridiano, unde primùm diſceſſeras. Ut ſi ſcopuli aut ſaxa latentia et vada in propinquo ſint, aut inſula aliqua vel denique terra continens, in cujus viciniam noctu aut admodùm nebuloſo aëre delatus ſis, hic verè, quod aiunt, intra ſacrum et ſaxa conſtitutus, ſummo in diſcrimine verſeris. Cui enim in mentem veniat tantillo intervallo tantum periculi ita latentèr objectum, quod nullâ ratione vel à peritiſſimo nauclero vitari aut declinari poſſit. Hinc adeò palàm fit, quanti etiàm illud ſit in diariis nauticis id quoque accuratè annotari, qui venti anniverſariâ periodo in his aut illis oris recurrant, qualis maris et undarum ſit agitatio, et quanto tempore ea illìc duret; ut ex anni tempeſtate et ab experientiâ edocti, cognoſcant in quam plagam maris unda abripiatur, in ortúmne, an verò in occaſum. Sæpe enim mare ipſum per dilucida intervalla ſuam etiàm habet quietem nonnullis in locis. Exemplo unico rem explicabo.

Marinæ

Marinæ agitationis et motûs ratio inter Brasiliam et Angolam in Africano opposito littore sitam sub parallelo octavo ita obtinet.

A vicesimâ die Aprilis ad vicesimam Julii mensis, maris fluctus feruntur in Zephyroboream, nobis Noort-West.

A 20 Julii ad 20 Octobris haùd admodùm in ullam plagam moventur.

A 20 Octobris ad 20 Januarii maris fluctus feruntur versùs Austrozephyrum, nobis Zuyt-West.

A 20 Januarii ad 20 Aprilis iterùm nullo motu cientur.

Atque hæc momenta à navium magistris sedulò et diligentèr sunt observanda, cum itineri compendium quærunt: Horum ignorantia aut negligentia partìm morbis, partìm inediâ, plurimos letho dedit, deficiente commeatu, aut morbis ê diuturnâ morâ eorum membra depascentibus; nam et venti ferè hos motus in eandem plagam aut antecedunt aut comitantur; ut frustrà huic monstro obnitaris. Hujusmodi maris agitationes et motus in variis locis admodùm sunt varii et inter se dissidentes. Sed ut ad institutum redeam, motus maris ab insulâ *Bellâ*, et suprà à freto *Davis*, in orientem et meridiem ferè fertur. Itaque in nostro exemplo statuam meridianum ad quem pervenerim orientaliorem. Atque hæc causa est, cur, qui istinc Britanniam aut Galliam petunt, mirentur has terras tanto ante se aperire, quàm ipsi, suis vulgò usitatis conjecturis ducti, existimârint.

PROPOSITIO IX.

Si acus magnetica cursûs plagam in ortum, vel in occasum, dirigi ostendat, et observatio eandem addicat, nullus correctioni erit locus.


NAM hic observatio æstimationi et conjecturæ consentiet: atque ita emendandi argumentum, (quod è solâ istarum discrepantiâ derivatur,) nullum hic nobis suppetet. Quìn adeò hujus cursûs ratio est lubrica ut, cum rectà in orientem aut occidentem proram diriges, et observatio eundem parallelum addicat, tamen occultâ maris agitatione contrarium evenire naucleri Indiam orientalem frequentantes constantèr nuntient. Ventorum enim ea istìc est ratio, ut tanquam etesiæ (ipsi *massonas* indigitant) certâ anni tempestate continuos aliquot menses ultrò citróque flent: maris verò agitatio suis motibus est obnoxia; quemadmodum antecedente propositione à nobis dictum est: atque ita fit, ut, cum distentis velis in ortum videaris contendisse; contrà tamen retrò in occasum sis abreptus. Ita olim quidam S. Helenæ insulam in medio mari aditurus, postquam ad ejus parallelum, graduum nempe 16 austrinæ latitudinis, devenisset, et inde rectà ipsam insulam sub isto parallelo peteret, cum secundo vento hanc propediêm aditurus videretur: tandem ultrà ducentesimum milliare occidentem versùs distare, et in viciniâ Americæ et Brasiliæ versari est deprèhensus; maris latente motu tanto intervallo retrorsùm abreptus, ventis

frustrà obluctantibus. Quamobrem hoc casu periculosa persæpe est hujusmodi navigatio, ubi nullum tui erroris argumentum appareat, aut quemadmodum te hinc expedias liquebit. Atque adeò non utile tantùm, sed etiàm necessarium videtur, cursum ultrò citróque obliquare, ut correctioni sit locus: cum autem te non eundem parallelum tenuisse, quem existimabas, observatio arguet; cursus æstimatus secundùm observata, ita ut deinceps dicetur, erit tibi corrigendus.

PROPOSITIO X.

Si acûs magneticæ ductum secutus æstimatione tuâ sub eodem parallelo decurrisse, ex observatis autem te eum non tenuisse, deprehendas; manente cursûs æstimatâ quantitate tanquam crure mecodynamico, latitudinem secundùm observata mutabis, et inde longitudinis evariationem definies.

ID enim solum maximè consentaneum suprà dictis propositione sextâ. Cum enim in cursûs plagâ necessariò hic sit erratum, pro parallelo æstimato, loxodromia erit substituenda, quod ipsum evariata latitudo coarguit: sed istum errorem soli plagæ imputare et latitudinem duntaxàt mutare iniquum sit, cum itineris æstimati quantitas perinde sit lubrica: quamobrem utrique errori compensando aliquid dandum videtur, ut æstimatâ itineris longitudine retentâ pro crure mecodynamico navis locus referatur ad observatum parallelum, et milliaria cruris mecodynamici ad longitudinem ipsi inter istos parallelos debitam, per 12 propositionem libri primi, revocentur; atque hoc pacto et plaga et itineris quantitas simul variabitur. Ut, si navis magister ab *a* ad *e* sub eodem parallelo cursum peractum existimet, eúmque 60 milliaribus taxet sub parallêlo 52; inde observatione institutâ, cum anteà in *e* navis locum constituerit, postmodùm 25 scr. borealiorem deprehendat. Tum 60 milliaribus uteris tanquam totius cursûs crure mecodynamico, et, per propositionem 12 libri primi, erit, ut 10,000 ad quadruplum canonici parallelorum differentiæ latitudinis 1,631,584, ita $\frac{60}{25}$ milliarium pars quota ad $391\frac{1}{2}$ scrupula, qui sunt gradus 6. scr. $31\frac{1}{2}$ evariatæ longitudinis. Cum igitùr navis mihi, propter observationis à conjecturâ discrepantiam, sit constituenda in parallelo *oi*; longitudinem quoque inventam mutabo, quæ mihi alia fuisset si sub eodem parallelo esset decursum, nempe 6 gr. 30 scr. et pro parallelo *ae* statuam me decurrisse loxodromiam *ai*. Ita enim manifestum est, me non tantùm cursûs quantitatem variare, (cum pro crure anguli recti *ae*, assumam basin *ai*;) sed insupèr ab angulo plagæ me quoque discessionem facere; cum pro recto *oae* assumam angulum inclinationis *oai* recto minorem. Ista enim hujus emendationis principia tanquam minùs lubrica suprà nobis erant proposita.



Atqui Cautio est, si, cum sub eodem parallelo decurres, sæpiùs et quasi continuis observationibus deprehendas, te in eandem plagam (utpote vel in meridiem,

meridiem, vel in septentrionem,) à parallelo quem decurrere institueras abduci, modò itineris confecti æstimatio cum curâ sit facta; tum quidem secundùm observationes de cœlo factas latitudinem censeri, itineris verò confecti milliaria pro loxodromiæ quantitate assumi, et inde longitudinis evariationem investigari debere. Ut si in eodem diagrammate acûs magneticæ situs arguat me ab *i* in *o* rectà ab occasu in ortum cursum meum direxisse, ab insulâ Bellâ sub parallelo 52 gr. et cursûs æstimati spatium sit milliarium sexaginta; observatio autem de cœlo facta arguat me versari sub parallelo 51 gra. 35 scr. idque continuò deprehendam me ab æstimato parallelo in meridiem declinare, id satìs indicii erit motu maris latente navem à recto cursu in latus abduci. Itaque hic 60 milliaria itineris erunt pro longitudine loxodromiæ; atque hinc et è datâ latitudinis evariatione 29 scr. dabitur angulus inclinationis 84 gr. $1\frac{1}{3}$ scr. per propositionem 21 libri primi, et inde per propositionem . . . crus mecodynamicum . . . et longitudinis evariatio $385\frac{1}{2}$ scr. qui sunt 6 gr. $25\frac{1}{2}$ scr. Ego parcè sumpsi, cum hallucinatio quæ à maris motu in latitudinem existit, illìc tanta sit, ut post peracta 24, 25, aut 30 milliaria facilè integro gradu latitudinem evariaveris; in 60 autem milliaribus ampliùs gradibus duobus. Si ita sumamus post 60 milliaria confecta 1 gradu et 30 scrupulis in latitudine præter opinionem esse variatum, fiet angulus inclinationis 67 gr. 59 scr. et longitudinis evariatio 5 gradus et 55 scrupuli; cum sub eodem parallelo 52 gr. ea itineris longitudo æstimata det longitudinis evariationem 35 scr. majorem. Tanti interest has medicas manus suo loco et ordine isti negotio adhiberi. Tu ad horum normam reliqua facilè comparabis.

Atque hactenùs de cursuum emendatione, qui in circulo aliquo, monstrante acu magneticâ, instituti videbantur: superest ut ad loxodromiarum æstimatos cursus, et eorum cum observatâ latitudine comparationem, deinceps transeamus.

PROPOSITIO XI.

Si loxodromiam aliquam et ejus quantitatem, æstimationem tuam secutus, ad inveniendam Latitudinis evariationem adhibueris, et ejusdem evariationem exinde derivatam ab observatâ diversam deprehendas, crure mecodynamico secundùm æstimatum cursum retento, latitudinem in observatum parallelum transferes, et hinc longitudinis differentiam investigabis.

NORMA cursûs quantitatem augendi minuendìve est latitudo de cœlo observata: hæc enim (ut dictum est,) observationibus sequentibus emendari, aut confirmari et refelli potest; reliqua autem nec iterari, neque relegi possunt. In quibus quidem universis si peccatum non sit, omnium arctissimum consensum esse oportet: sin verò aliqua inter ista differentia existat; unica datur latitudo, quæ nobis ad emendationem reliquorum facem alluceat. Ut si ab *a* cursum loxodromiæ quintæ iniverim, quemadmodum acûs magneticæ situs observatus dictare mihi visus est, æstimata autem itineris longitudo sit milliarium 77, à parallelo 50 versùs boream, observata latitudo 52 gr. 20 scru. unde nobis è canone προχείρῳ datur evariatio latitudinis 2 gr. 40 scr. et crus mecodyn-

 amicum

amicum $59\frac{8642}{10000}$ milliarium. Hoc igitur crure mecodynamico tanquam accurato et benè justo seorsìm reservato, latitudinis evariationem secundùm observata mutabo; atque ita mecum statuere habeo necesse; ut assumam latitudinis eam evariationem quam observatio addicit, quæ est in exposito casu tantùm 2 gr. 20 scr. ut æstimata latitudo major sit quàm observata scr. 20. Secundùm hanc ex suprà invento crure mecodynamico longitudinis evariationem concludam per propositionem 12 lib. 1. hoc modo. Ut 10,000 ad quadruplum numeri parallelorum canonici, qui ad differentiam latitudinum 50 gr. et 52 gr. 20 scr. nempe, datæ et observatæ, pertinet, scilicet 893. 1516; ita cruris mecodynamici pars quota interjectis parallelis cognominis $\frac{598642}{1000000}$ ad scrupula evariatæ longitudinis $381\frac{1}{10}$, qui sunt 6 gradus et 21 scrupula: et, cum secundùm anguli loxodromici et æstimati itineris quantitatem me in puncto *e* versari existimem, navem tamen in puncto *i* collocabo, et pro loxodromiâ *ae*, substituam loxodromiam *ai*: atque ita et angulo loxodromico, et itineris conjectaneo intervallo aliquid vitii obrepsisse paritèr statuam, neque uni tantùm soli hunc errorem imputabo.

N O T A.

Hanc factionem summa illa ἀκρίβεια secundùm leges dictatas postularet: Attamen in singulis cursibus et totius partibus, vulgò usitatam rationem, (quia expeditior, neque ab hâc ipsâ diligentissimâ æstimatione ullâ differentiâ abeat diversa, quæ quidem digna sit majore περιεργείας) in praxi quoque sequemur. Et, ut tanto evidentiùs hoc ipsum liqueat, utramque hìc inter se contendemus. Sit enim idem exemplum quod prius, et detur à parallelo 52 quintæ loxodromiæ quantitas 77 milliarium; inde per canones προχείρους evariatio latitudinis conjectaneæ jam data est 2 gr. 40. et crus mecodynamicum $59\frac{8642}{10000}$ milliarium. Ut secundùm hanc æstimatam, non autem veram, latitudinis differentiam, longitudinis evariationem invenias, duas ostendimus vias; quarum prior utitur cruris mecodynamici parte quotâ è latitudinis evariatione, per propositionem 12mam libri primi. Latitudinis differentia hìc est 2 gr. 40 scr. Erit itaque ut 10,000 ad quadruplum numeri parallelorum canonici inter 50 gra. et 52 gra. 40 scr. interjecti, nempe 1024. 5416, ita cruris mecodynamici $59\frac{8642}{10000}$ pars quota interjectis parallelis (qui hic sunt 2 gr. 40 scr. hoc est, scrupula 160) cognominis, utpote $\frac{598642}{1000000}$, ad scrupula evariatæ longitudinis hujus loxodromiæ quantitati debita $383\frac{1}{3}$, qui sunt 6 gr. $23\frac{1}{3}$ scr. Tanto igitùr hic plus sit justo, cum anteà invenerimus ex iisdem datis et latitudinis differentiâ observatâ 2 gr. 20 scr. tantùm 6 gr. $21\frac{9}{10}$ scr. Differentia, quæ inter utrumque calculum intercedit, est duntaxàt scrup. $1\frac{42}{100}$, et quidem in cursu 77 milliarium sub loxomiâ quintâ, ubi observata latitudo ab æstimatâ distabat gradûs triente: quæ differentia, in tantâ fluctuum agitatione et inconstantiâ, nobis tanti esse non debet; et quidem eo magìs, quod in singulis cursibus æstimandis hanc jam naucleri sequi habent necesse, ut securi sint suarum rationum, quemadmodum in singulis cursibus, quamdiù de cœlo nondum sit observatum, longitudinis locus sit consignandus.

Atque id quidem tanto magis retineri expedit quod ista via vulgò usitata solâ multiplicatione absolvatur. Nam crus mecodynamicum singulis parallelis debitum est primus cruris mecodynamici numerus uni scrupulo appositus per radium 10,000 divisus; quemadmodum constat per propositionem 28 libri primi. Itaque ut hoc ipsum faciliùs absolvam.

Fiat, quemadmodum 10,000 ad 10,245,416, nempe quadruplum numeri parallelorum canonici; ita in hac quintâ loxodromiâ (nam ea datur) primus numerus mecodynamicus per radium divisus $\frac{3741}{10000}$ ad scrupula evariatæ longitudinis 6 gr. $23\frac{1}{3}$ scr. ut priùs. Hoc est, ut quadratum radii 100,000,000 ad 10,245,416, ita crus mecodynamicum unius paralleli in datæ loxodromiæ inclinatione 3741, ad quæsitam longitudinis evariationem. Hanc igitur cervam pro istâ Iphigeniâ, ut tragœdici solent, hoc loco subponemus: non tantùm quia hâc faciliùs litatur; verùm etiàm quòd inter se haùd admodùm diffideant; ut illam quidem cum ratione constitutam, hanc verò ob facilitatem et affinitatem ei substitutam, concedamus. Quamobrem ista hactenùs de simplicium loxodromiarum emendatione dicta sufficiant. Sequitur emendatio loxodromiarum compositarum: quæ in latitudinis evariatione, et cruris mecodynamici quantitate, in singulis quidem Loxodromiis singularum Loxodromiarum seorsìm leges sequitur; at junctìm suis quibusdam præceptis regitur, in quibus ne peccetur, cautio est.

PROPOSITIO XII.

Cursus compositus est, quando priusquam emendationi secundùm observata sit locus, plures continuantur.

FIT non rarò, quìn adeò ferè semper, ut cursus ab observatione altitudinis antecedente usque ad proximè sequentem, non sit ejusdem generis; sed ex variis cursuum plagis illud itineris intervallum componatur: ut modò in meridiem vergat; inde vicissìm in septentrionem, secundùm aliam atque aliam loxodromiam, sit obliquandus, vel sub aliquo parallelo dirigendus. Instituti enim itineris cursus, ob terrarum in maria excurrentium margines, sæpe articulatìm delumbatur, et per diversas plagas inflectitur, frangitúrque. Ut si hinc ex Hollandiâ sub parallelo quinquagesimo secundo Gades atque in extremam Hispaniam navigare instituas: primùm quidem in occidentem loxodromiâ quasi quintâ à meridie erit tibi contendendum, usque ad summum et extremum Galliæ promontorium Gobæum à Ptolomæo dictam, cui insula prætenditur nostris nautis *Eysant* dicta, sub parallelo $48\frac{1}{2}$, qui tamen cursus intereà aliquoties deartuandus est. Hinc jam propiùs ad meridiem inflectendum, usque dum perventum sit è regione *Cabo Sant Vincent*, quod Ptolomæo est Promontorium sacrum, sub parallelo $37\frac{1}{3}$. Hinc denique cursus in ortum loxodromiâ quasi septimâ erit inflectendus, ut Gades sub parallelo $36\frac{1}{6}$ propè Herculis fretum (per quod mare mediterraneum se in Oceanum effundit) adeas; et id quidem si ventus optatus euntes prosequatur. Quìn adeò in medio mari, ubi jam altum tenuêre rates, neque ullæ apparent aut metuuntur terræ, vel scopuli, vel vada, aut saxa latentia,

latentia, haud raro tunc quoque evenit, ut majore tempestate ingruente μὴ δυνάμενοι ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, cum non possint contrà tendere, ita poscentibus ventis, viam velis flectant, tanquam ageretur illud Poëtæ

Nec nos obniti contrà neque tendere tantùm
Sufficimus: superat quoniam fortuna, sequamur;
Quóque vocat, vertamus iter.——

Hic enim vehementioribus procellis ingruentibus ἐπιδόντες φέρονται, venti arbitrio se permittunt: alioquìn etiàm adversissimis ventorum flatibus non concessuri, ut retrorsùm agantur; sed cursûs obliquatione modò hâc, modo illac, proram obvertentes, aliquâ ex parte institutum iter promoturi. Atque hinc breves illæ inflexiones 2, 3, 4, 5, plurium aut pauciorum milliarium, quibus primarii cursûs directio deartuatur et infringitur. Hic igitur cursus è variorum generum miscellâ, utpote duorum triûmve, aut etiàm plurium, conflatus, à nobis nunc compositus dicitur.

PROPOSITIO XIII.

Si in cursu composito continentèr omnes à communi parallelo in septentrionem vel meridiem vergant, latitudinis evariationem augebunt; si qui ex iis in contrarium reflectantur, ii pro ratâ parte eam imminuent.

CUM omnis cursus, excepto octavo, qui sub eodem parallelo manet, latitudinis et parallelorum evariationem inducat; sive ea à meridie in septentrionem porrecta augeatur, seu contrà à septentrione in meridiem minuatur, et hoc quidem in singulis sigillatìm. In conjunctis autem et compositis cursibus res se paulo secùs habet. Illìc enim latitudinis evariatio eadem esse, vel etiàm augeri, nonnunquam et minui etiàm potest. Ut si à parallelo 52 quocunque cursu perventum sit ad 50, atque inde cursum rectà in ortum vel occasum flectas; jam cum in eodem parallelo continuò decurratur, latitudinis evariatio hinc nulla inducetur major; at si porrò inde ultrà in meridiem inflectas ut pervenias ad 48 parallelum, jam tanto erit auctior latitudinis evariatio: nam principium et hic finis distant 4 gradibus. At si à parallelo 50 flexisses in septentrionem donec perventum esset ad parallelum 50 graduum et 45 scrupulorum, hìc evariatio latitudinis fuisset tantùm imminuenda. Exemplum tale esto; à Mosæ fluminis ostio, sub parallelo 51 navigatum sit ad promontorium Angliæ.

De Singels vento Zuyt-West ten Westen	milliaribus	33
A Singels ad Bevesier West-Zuyt-West	milliaribus	6
*A Bevesier ad Lezert * West ten Zuyden*	milliaribus	$54\frac{1}{2}$
A Lezert ad Caput Finisterre Zuyd-Zuyd-West	milliaribus	$113\frac{1}{4}$

Primus cursus est loxodromia 5 à meridie versùs occasum, ut infrà patet ex typo ventorum; et hìc designatur cursu *ae*.

* Anglicè, *The Lizard point.*

Secundus

Secundus cursus est loxodromia 6 à meridie versùs occasum; et hìc designatur cursu *ei*.

Tertius est loxodromia 7 à meridie versùs occasum, et hìc exprimitur cursu *oe*.

Quartus est loxodromia 2 à meridie versùs occasum, et hìc exprimitur cursu *ou*.

Vides itaque omnes loxodromias, à parallelo sub quo inceperant, versùs meridiem inclinare, et ideò à parallelo 52 unde initium ductum est, longiùs discedere, latitudinem imminuendo; latitudinis autem evariatio singulis debita invenietur, per propositionem . . . libri primi, aut per canones προχείρους in singulis ista:

numerus loxod.	cursûs nomina.	milliaria.	evar. lat. gra.	scr.
5	Z. W. t. Z.	33	1.	$13\frac{3}{10}\frac{3}{100}$
6	W. Z. W.	6	0.	$9\frac{1}{10}\frac{9}{100}$
7	W. t. Z.	$54\frac{1}{2}$	0	$2\frac{5}{10}\frac{3}{100}$
2	Z. Z. W.	$113\frac{1}{2}$	6	$9\frac{4}{10}\frac{4}{100}$
		summa	9.	$4\frac{4}{10}\frac{9}{100}$

Addendæ igitur sunt hæ singulæ, quæ conflant 9 grad. $4\frac{4}{10}\frac{9}{100}$ scr. Et quia cursus expositi versùs meridiem vergunt, de propositâ latitudine 52 gra. deducendi sunt: unde datur, secundùm has conjecturas, latitudo *Capo finisterræ* 40 gr. $55\frac{5}{10}\frac{1}{100}$ scr. Non opus erat istâ scrupulositate ut etiàm primorum partes centesimas inquirerem, potui in primis subsistere, et terminum vero proximum assumere; tanta enim maris inconstantia est, ut istæ conjecturæ itinerum ne quidem ad unum aut alterum scrupulum, verum nobis addicere possint. Quemadmodùm propositione . . . . exemplis et observationibus in medium prolatis ostendetur. Quod si aliquis horum cursuum in Boream esset inflexus, is pro ratâ parte latitudinis evariationi tantum derogaret, quinetiàm posset latitudinem in Boream ultrà parallelum rejicere; ut si hæc novissima loxodromia *A Lesert* ad *Cabofinisterræ* quæ est *Zuyd-Zuyd-West*, mutetur et fiat à *Lesert Noordt-Noordt-West* $113\frac{1}{2}$, dabitur in hoc cursu latitudinis evariatio 6 gr. $59\frac{4}{10}\frac{4}{100}$ scr. ut ante, sed in Boream à suo principio inflexa. Erunt itaque tres priores latitudines

tudines addendæ, nempe 1 gr. $13\frac{33}{100}$ ſcr. et $9\frac{19}{100}$ ſcr. et $42\frac{53}{100}$ ſcrup. quarum ſumma eſt 2 gradus et 5 ſcrupula: tantum igitùr à curſuum omnium initio, Moſæ oſtio, itum eſt in meridiem. Atqui inde rursùm in Boream 6 gr. $59\frac{44}{100}$ ſcr. Quare ſi illa evariatio minor de hac majore deducatur, reliqua eſt evariatio 4 graduum et 54 ſcrupulorum, ſed Borea, numeranda à 52 parallelo, et incidet in 56 grad. 54 ſcr. Similis ratio erit reliquarum in aliis.

PROPOSITIO XIV.

Si in curſu compoſito continentèr omnes à communi meridiano in ortum vel occaſum vergant, longitudinis evariationem adaugebunt: ſi qui ex iis in contrarium reflectantur, iſti pro ratâ parte eandem imminuent.

QUEMADMODUM propoſitione 13 latitudinis evariatæ proſtaphæreſin explicuimus; ita hìc longitudinis proſtaphæreſin proſequemur: quæ utraque in uſu, et curſibus compoſitis ſæpe permiſcetur. Longitudinis evariatio, et incrementum aut decrementum, hìc non numeramus à primo meridiano; ſed à meridiano illius loci unde iter aut computationem inſtituis, ad eum locum quo contendis; ſive iſte illìnc in orientem, ſeu in occidentem diſſitus vergat. Ut ſi ab *a* puncto meridiani *ay*, in ſchemate antecedentis propoſitionis, diſcedas in occaſum curſu *ae*; et ſequens iterùm vergat à termino *e* in *i*; et tertius ab *i* in *o*; quartus ab *o* in *u*; hi curſus continentèr longitudinis evariationem adaugebunt: omnes enim ultrà noviſſimum meridianum in occaſum porriguntur. At ſi noviſſimus curſus ab *o* reflectatur in *n*, ut *on*; is factæ evariationi tantum derogabit, quantum pars ipſius quantitati congrua ſibi vindicabit: ut hìc *ln* de *ly* deducta relinquit *ny*, longitudinis evariationem inter curſûs principium *a* et hunc finem *n*. Cum autem ſub eodem meridiano rectâ in Auſtrum aut Boream decurres, longitudinis evariationi nihilum accedere aut decedere, eſt manifeſtum.

Aſſumantur enim curſus, et curſuum inclinatio, et quantitas, eadem quæ ſuprà in propoſitione antecedente; et quæratur quanta ſit ſingulorum evariatio longitudinis. Id fiet per propoſitionem . . . . ſi proximorum parallelorum differentiæ quadruplum multiplicetur per quadrantem tangentis inclinationis, ſeu numerum mecodynamicum cujuſque uni ſcrupulo debitum. Ego hìc tabellam ſubjicio, in quâ in ſelide ſecundâ loxodromiarum ordinem, in tertiâ ventorum nomina ac curſûs plagam, in quartâ milliaria æſtimata, in quintâ latitudinis evariationem, ſeu parallelum in quo ſinguli terminantur, in ſextâ quadruplos canonicos parallelis interjectis debitos, et in ſeptimâ evariationem longitudinis ſingulorum, expreſſi. Primâ autem ſelide numeros canonicos multiplicantes, ſeu quadrantes tangentis inclinationum, collocavi. Quemadmodum hìc vides.

multi-

Multiplicantes.	Loxodromiæ.	Curfûs plaga.	Milliaria æftimata.	Evariatio latitudinis. gra.	min.	NumeriCanonici quadruplicati.	Evariatio longitudinis. gra.	min.	
3,741	5	Z. W. t. Z.	33	48	46$\frac{66}{100}$	674,272	2.	48$\frac{1}{2}$	Ad.
6,035	6	W. Z. W.	6	48	36$\frac{47}{100}$	134,088	0.	33$\frac{1}{2}$	Ad.
12,568	7	W. t. Z.	54$\frac{1}{2}$	47	54$\frac{19}{100}$	1,283,796	5.	21	Ad.
1,035	2	Z. Z. W.	113$\frac{1}{2}$	40	54$\frac{65}{100}$	974,288	4.	3$\frac{1}{2}$	Ad.
							12.	46$\frac{1}{2}$	

Evariatio longitudinis itaque erit 12 gr. 46$\frac{1}{2}$ fcr. atque tanto occidentalius eft acroterium Hifpaniæ *Cabo finifterræ* hodiè dictum, quàm fit Mofæ fluminis oftium. Ego hìc in latitudine confignandâ etiam particulas fum confectatus, ut ifto exemplo doceam, quàm parùm ad rhombum eæ faciant; nifi forte obliquiffimi fint curfus, ut loxodromia 7$\frac{1}{2}$, 7$\frac{3}{4}$, aut in parallelis minimis propè et ultrà circulum arcticum verferis. Hìc enim in eodem exemplo fi proximi veris affumantur, nempe 48 gr. 47 fcr. et cæteri deinceps, dabitur in fingulis curfibus evariatio longitudinis quantam hìc expreffimus.

paralleli gr.	fcr.	*evariatio long.* gr.	fcr.
48	47	2	48
48	38	0	33
47	55	5	25
40	56	4	3
		12	49

Ut differentia non fit trium fcrupulorum in tam longo curfu, quæ vel conjecturæ in longitudine itineris, vel errori in obfervandâ poli altitudine fummo jure imputari poffunt; ut in iftâ λεπτολεσχία facilè fine ullâ jacturâ manus de tabulâ tolli poffit.

Si curfus ultimus pro *Zuyd-Zuyd Weft* fuiffet *Zuyd-Zuyd-Ooft*, hoc eft, pro *ou* fuiffet *on*; jam ultima longitudinis evariatio 4 gr. 3 fcr. de reliquis effet fubducenda, nempe de 2 gr. 46 fcr. et relinquetur evariatio longitudinis *ny* 4 gr. 43 fcr. tantùm.

Denique fi ab *o* rectà in meridiem effet decurfum in *l*, nullam aliam effe longitudinis evariationem in *l* puncto, quam ante fuerat in *o*, manifeftum eft; nempe 8 gr. 46 fcr. Sequitur comparatio conjectaneæ evariationis compofiti curfûs cum eâ quæ de cœlo obfervatur.

PROPOSITIO XV.

Si in cursu composito æstimata latitudo ab observatâ discrepet, retentâ longitudinis evariatione latitudinem in observatum parallelum transferes.

SIMPLICES cursus suas habuerunt leges, secundùm quas ipsæ ad observationes de cœlo factas regerentur, et nonnullæ earum, si nimia enormitas incideret, emendarentur. In compositis autèm cursibus difficilior singulos emendandi est ratio, et magìs intricata: eam itaque ob rem, nisi alia evidens causa alitèr suadeat, (quam quidem nos posteà exponemus,) longitudinis evariatione retentâ, latitudinis differentiâ inter conjectaneam et observatam posthabitâ, ad observatum de cœlo parallelum transibimus. Res posito exemplo fiet clarior. Sint enim cursus iidem qui suprà propositione 12 sunt expressi, à Mosæ fluminis ostio sub parallelo quinquagesimo ad acroterium Hispaniæ *Cabo finis terræ* dictum; atque illìc de cœlo sit observatum, et latitudo inventa 42 gr. 42 scr. Atqui è loxodromiis et itineris ratione ante datur nobis latitudo 40 gr. 55 scr. ut differentia inter illam et hanc sit 1 gradus et 47 scrupula; quam loxodromiarum hallucinationi tribuam, ut illarum inclinationes alias reverà fuisse necessum videatur, atque in chalyboclisis observatione, aut aliâ quavis occasione non nihil peccatum esse. Neque omninò mirum est, aut inauditum, in tantâ itineris longitudine, ac tot dierum intervallo, cum intereà de cœlo observatum non erit, tantam à latitudine verâ differentiam intercedere: quod infrà quoque altero exemplo patebit. Hæc enim non ficta, sed re ipsâ ex nautarum Diariis excerpta proferimus. Porrò autem cum ad longitudinem emendandam subsidii nihil detur, ante inventam retinebo, quæ nobis inter Mosam et dictum acroterium suprà fuit 12 gr. 46 scr. Atque ita in isto meridiani et paralleli communis sectionis termino confecti itineris limitem statuere habeo necesse.

Atqui, ut diximus, CAUTIO est, si enormis sit ea differentia, emendatione tali opus esse, quâ anguli quibus loxodromiæ ad meridianum inclinantur, mutentur; hoc est, aliæ loxodromiæ assumantur, quam acus magnetica, in ipso cursu designaverit: quia id à maris occulto impetu factum sit, quo navis transversìm ab instituto tramite sit furtìm abrepta. Verbi gratiâ, maris fluctus adeò violento, sed tamen inobservabili, impetu propè fretum *Davis* à Boreâ versùs Austrum fertur, ut qui istinc cursum in ortum dirigunt monstrante acu magneticâ, (etiàm legitimè secundùm suam chalyboclisin emendatâ,) perpetuò deprehendantur, eum non tenuisse cursum, sed pro parallelo hoc, loxodromiam quartam inter ortum et meridiem, (nostris *de Zuyt Oost streeck* dictam) decurrisse. Id quemadmodum in hoc simplici cursu, cum ab observatione incipiet et terminabitur, emendari possit, suprà explicui. Itaque semèl cognito isto subreptitiæ loxodromiæ angulo reliquos omnes ad hunc temperabo. Nam cursum observatum hìc alium esse quam verum, cum haud sis nescius, et maris motum à Septentrione in meridiem ferri: si tu igitùr sub eodem meridiano versùs boream contendas, sequitur, iter tuum minus esse quàm conjecturâ factâ æstimes: si in meridiem, multo esse majus; atque ideò illìc observatam latitudinem minorem æstimatâ,

æstimatâ, hìc contrà majorem esse, mirari desines, cum causam pernoveris. Inter meridianum et parallelum, loxodromiarum anguli et quantitas cursûs ita erunt temperandi, proùt diligens observatio, et sedula itineris confecti æstimatio arguet, secundùm præcepta in simplicibus posita, ubi singulis cursibus singulas observationes tribuimus, et secundùm eas emendavimus quando esset necesse. Cæterùm, cum in compositis, ubi post aliquot cursus continuatos demùm observatio et emendatio adhibentur, ea res plus habeat difficultatis; necesse est ut cognoscas quænam in singulis cursibus loxodromia pro aliâ sit substituenda, atque ita paratus ac instructus venias: ut in eo quod modò recensuimus, cum in ortum ire visus sis, tamen non referas in ephemerin tuam nauticam *Oost*, sed ut diximus, *Zuydtoost milliaria tot*; atque ita in cæteris ad eandem normam. Quod si in pelagus aliquod imparatus venias, et præter opinionem in id sis delatus, cujus neque agitationem neque impetum fando audiveris; opus erit ut summâ cum curâ atque industriâ ipse huic rei animum advertas, atque æstimata cum observatis conferas, unde correctione loxodromiarium factâ aliquid sani de tuo profectu, aut defectu, statuas; nam id gnavi et industrii naucleri munus est: cujus fidei non tantùm merces istæ, quantumvis pretiosæ; verùm etiàm navis universa, quâ tot hominum vita et salus continetur, est concredita.

Visum est huic theoremati luculentissimum itineris longioris exemplum et calculi rationem subjicere; unde praxis nostra nautica pernosci possit: et totum illud quod suprà in ordinando nautico diario adhibuimus huc transferre, atque ad abacos nautici epilogismi revocare. Ubi hoc mihi monendus es in ipso vestibulo, Loxodromiarum angulos, et cursuum quantitatem à peritissimis naucleris, qui unà vehebantur, et harum difficultatum haud essent expertes, ita secundùm illorum consuetudinem emendatos, quemadmodum ipsi, usu edocti, vero maximè assidere existimarent; ídque illi voce technicâ *behouden coursen en mylen* indigitant. Id significat *cursus et milliaria sarta tecta*, quo innuunt, cum fide, industriâ, et legitimâ utriusque taxatione, quibus hæc in medio mari sunt obnoxia, ista pro visis et apparentibus esse substituta, proùt quotidiana eos experientia, omnium rerum magistra, erudivit.

Sit itaque nobis exemplum è Diario nautico propositionis quartæ, ubi è datâ inclinatione et cursuum quantitate longitudinis et latitudinis evariationem per artem, vel si libeat, potiùs e canonio προχείρῳ primùm erues. Sed id quoque notandum tibi est, quod loci situs ad quem itur, hìc orientalior sit eo unde disceditur, et præterеà quoque meridionalior; quod ideò monere oportuit, ut inde longitudinem et latitudinem loci optati posteà rite et sine errore constituas. Diarii hujus nautici secundùm divinationem et observata hæc est formula, ut primæ selidi mensis dies sit adscriptus; secundæ nomina ventorum quibus cursûs inclinatio et plaga definitur; tertiæ ejusdem quantitas in milliaribus; quartæ singulorum cursuum latitudinis evariatio de cœlo observata; quintæ latitudinis evariatio secundùm cursûs æstimatam quantitatem; sexto milliaria mecodynamica eidem congrua; septimæ longitudinis evariatio è milliaribus mecodynamicis derivata. Horum duorum, quæ ultimo loco recensuimus, magnitudinem, ex canonio prochîro, aut per calculum explicare licebit, proùt opportunum videbitur, quemadmodùm hìc vides. Cujus rationem deincèps sigillatìm etiàm explicamus. Initium navigationis factum est à parallelo boreo 52 gr. 25 scr.

	Dies.	Loxodro. numerus.	Velificationis cursus.	Mil. confect.	Alti. Poli observata. gra. min.	Latitudo è loxodromiis derivata gra. min.		Poli altitudo conjectanea.	Evariatio longitudinis. gra. min.		Longitudo 339. 31.
Julii	16	6	O. Z. O.	18		0 28	S		1 50	A	
	17		O.	4		0 0			0 26	A	
		5	Z. O. t. O.	13		0 29	S		1 10	A	
	18	6	O. Z. O.	14		0 $21\frac{1}{2}$	S		1 23	A	
		6	O. Z. O.	3		0 $4\frac{1}{2}$	S		0 $17\frac{1}{7}$	A	
		6	W. Z. W.	11		0 17	S		1 $4\frac{1}{2}$	S	
		7	W. t. Z.	$1\frac{1}{2}$		0 1	S		0 8	S	
	19	3	Z. O. t. Z.	$2\frac{1}{2}$		0 $8\frac{1}{3}$	S		0 $8\frac{1}{2}$	A	
		3	Z. O. t. Z.	5		0 $16\frac{2}{3}$	S		0 1[illegible]$\frac{3}{4}$	A	344. 24
	20	2	Z. Z. O.	14	48. 38	0 $51\frac{3}{4}$	S	49. 27	0 33	A	
		2	Z. Z. O.	2		0 $7\frac{1}{3}$	S		0 $4\frac{1}{3}$	A	
		4	Z. W.	$7\frac{1}{2}$		0 $21\frac{1}{3}$	S		0 $32\frac{1}{2}$	S	
	21	5	Z. O. t. O.	4		0 $8\frac{9}{10}$	S		0 20	A	
	22	6	O. Z. O.	24		0 $36\frac{3}{4}$	S		2 $11\frac{1}{2}$	A	
	23	4	Z. O.	29		1 22	S		2 0	A	
		3	Z. O. t. Z.	31		1 43	S		1 38	A	
	24		Z.	5	42. 54	0 20	S	43. 58	0 0		350. 5
			Z.	21		1 24	S		0 0		
	25	1	Z. t. W.	5	41. 4	0 $19\frac{2}{3}$	S	41. 10	0 $5\frac{1}{2}$	S	
	26		Z.	24	39. 24	1 46	S	39. 18	0 0		350. 0
		$1\frac{3}{4}$	Z. Z. W. $\frac{1}{4}$ Z.	$12\frac{1}{2}$		0 47	S		0 $21\frac{1}{2}$	S	
	27	5	N. O. t. O.	5		0 $11\frac{1}{10}$	A		0 22	A	
	28	$5\frac{3}{4}$	O. N. O. $\frac{1}{4}$ N.	16		0 $27\frac{1}{3}$	A		1 $13\frac{6}{10}$	A	
	29	6[illegible]	O. t. N. $\frac{1}{4}$ N.	16		0 $15\frac{1}{2}$	A	39. 31	1 $22\frac{1}{2}$	A	352. 36
		$7\frac{3}{4}$	O. $\frac{1}{4}$ Z.	$6\frac{1}{2}$		0 $1\frac{1}{3}$	S		0 35	A	
		7	O. t. Z.	5		0 $3\frac{9}{10}$	S		0 25	A	
	30		O.	$8\frac{1}{2}$	39. 24			39. 11	0 44	A	
Aug.	1		O.	$23\frac{1}{2}$					2 $1\frac{6}{10}$	A	
	2		O.	38	39. 13			39. 11	3 $16\frac{2}{10}$	A	
		7	O. t. Z.	17		0 $13\frac{1}{3}$	S		1 26	A	
	3		O.	14	38. 58			39. 0	1 2	A	
	4		O.	5	38. 50			39. 0	0 $25\frac{7}{10}$	A	2. 30

Quartâ Augusti appulimus ad insulam *Fajael*, *Açorum*, *sive Flandicarum*, unam ; atque inde 23 ejusdem mensis solvimus Hispaniam versùs navigaturi.

Dies.

Dies.	Loxodro. numerus.	Velificationis cursus.	Mil. confect.	Altit. Poli obfervata. gra.	min.	Latitudo è loxodromiis derivata. gra.	min.		Milliaria mecodynamica.	Evariatio longitudinis. gr.	mi.	Longitudo.
Aug. 23	$6\frac{1}{4}$	O. N. O. $\frac{1}{4}$ O.	$4\frac{1}{2}$			0	6	A				
24	$6\frac{1}{2}$	O. N. O. $\frac{1}{2}$ O.	16			0	$18\frac{1}{2}$	A				
	4	Z. O.	$6\frac{1}{2}$			0	$18\frac{1}{2}$	S				
	$3\frac{1}{2}$	Z. O. $\frac{1}{2}$ Z.	2			0	$6\frac{1}{2}$	S				
25	$3\frac{1}{2}$	N. O. $\frac{1}{2}$ N.	4			0	$12\frac{2}{5}$	A				
26	$2\frac{1}{2}$	N. N. O. $\frac{1}{2}$ O.	16			0	$56\frac{1}{2}$	A				
27	3	N. O. t. N.	16			0	$53\frac{1}{2}$	A				
28	2	N. N. O.	14			0	$51\frac{3}{4}$	A				
29	2	N. N. O.	17			1	3	A				
30	1	N. t. O.	$9\frac{1}{2}$			0	$3\frac{1}{4}$	A				
	2	N. N. W.	1			0	$3\frac{7}{10}$					
31	6	O. Z. O.	9			0	$13\frac{1}{4}$					
	5	Z. O. t. O.	$4\frac{1}{2}$			0	10					
Sept. 1		Z.	7	42	52	0	28	S				
2	7	O. t. Z.	5			0	$3\frac{8}{10}$	S				
3	7	O. t. Z.	18			0	14	S				
4	7	O. t. Z.	31			0	24	S				
5	7	O. t. Z.	37			0	$28\frac{9}{10}$	S				
	7	O. t. N.	22			0	$17\frac{2}{10}$	A				
6	$3\frac{1}{2}$	N. O. $\frac{1}{2}$ N.	9			0	$27\frac{1}{10}$	A				
7	$2\frac{3}{4}$	N. N. O. $\frac{1}{4}$ O.	26	42	42	1	$29\frac{2}{10}$	A				
	3	N. O. t. N.	5			0	$16\frac{6}{10}$	A				

Noviffimo hoc curfu tandem octavâ Septembris appulimus ad promontorium Hifpaniæ, vulgò *Caput finis terræ* dictum, quâ Hifpania longiffimè in occidentem in orâ Septentrionali procurrit. Ptolomæo effet Nerium promontorium.


Primi curfûs menfura et plaga in hoc diario exprimitur; longitudo quidem milliarium 18 felide quartâ; plaga autem O. Z. O. felide tertiâ; loxodromiæ numerus, memoriæ juvandæ caufâ, felide fecundâ. Ita enim omnia feliciùs accuratiúfque abfolventur; neque in lubrico confiftes quando femèl hoc labore eris defunctus, ut felidi fecundæ loxodromiæ numerum adjicias. Secùs enim etiàm hìc memoriam follicitare opus effet: quod, ut in tantâ varietate periculofum, ita quoque minùs exercitatis haud adeò expeditum fuerit. Licebit itaque, ut fuprà jam expreffimus, canones πρόχειρους adhibere, atque illìnc lâtitudinis evariationem fecundùm loxodromias, et milliaria mecodynamica depromere; fi forsàn

forsàn quis in calculo minùs ſit exercitatus. Ego verò et tutiſſimum et expeditiſſimum judico ei qui epilogiſmo utcunque adſueverit, calculum ab ipſo fonte arceſſere: atque, in eum finem, canonion exiguum ad manus habere, in quo, in primo loco, loxodromiarum ordo, et earum quadrantes; in ſecundo loco, angulorum, qui ad earum complementa pertinent, ſinuum quadruplum; et in tertio loco, tangentium, qui ad ipſarum loxodromiarum angulos pertinent, quadrantes; ſint ordine digeſti. Secunda enim ſelis latitudini inveniendæ ſerviet per conſectarium propoſitionis 28, et per 30 prop. libri primi. Canonion ipſum hìc quoque ſubjeci ad radium quinque circulorum, ut te quoque calculi hujus moleſtiâ liberarem.

Loxodrom.	Sin. compl. quadrupl.	$\frac{1}{4}$ tangent.	Loxodrom.	Sin. compl. quadrupl.	$\frac{1}{4}$ tangent.
$\frac{1}{4}$	399,518	1,228	$4\frac{1}{4}$	268,623	27,583
$\frac{1}{2}$	398,074	2,462	$4\frac{1}{2}$	253,757	30,462
$\frac{3}{4}$	395,670	3,708	$4\frac{3}{4}$	238,280	33,709
1	392,314	4,973	5	222,228	37,415
$1\frac{1}{4}$	388,012	6,262	$5\frac{1}{4}$	205,641	41,710
$1\frac{1}{2}$	382,776	7,584	$5\frac{1}{2}$	188,559	46,805
$1\frac{3}{4}$	376,624	8,945	$5\frac{3}{4}$	171,021	52,858
2	369,552	10,355	6	153,072	60,355
$2\frac{1}{4}$	361,596	11,824	$6\frac{1}{4}$	134,756	69,870
$2\frac{1}{2}$	352,768	13,363	$6\frac{1}{2}$	116,114	82,414
$2\frac{3}{4}$	343,091	14,984	$6\frac{3}{4}$	97,192	99,806
3	332,587	16,704	7	78,036	125,683
$3\frac{1}{4}$	321,283	18,541	$7\frac{1}{4}$	58,692	168,536
$3\frac{1}{2}$	309,204	20,517	$7\frac{1}{2}$	39,207	253,829
$3\frac{3}{4}$	296,380	22,659	$7\frac{3}{4}$	19,627	508,887
4	282,843	25,000			

Nunc itaque numerum ſinus qui ad ſextum curſum pertinet, (iſte enim hìc datur O. Z. O.) excerpam, nempe 153,072; qui, per milliaria multiplicatus, et per radium diviſus, dabit ſcrupula evariatæ latitudinis $27\frac{55296}{100000}$; aut, quod ſatìs ſit, $27\frac{5}{10}$, per propoſitionem 19 libri primi. Hanc evariationem in oppoſito laterculo in ſuâ ſelide inſcribam, ſub latitudinis evariatione ſelide ſextâ; et, quia versùs æquinoctialem profectionem promovet et latitudinem minuit, ſelidi ſequenti è regione adſcribam S literam, ſubductionis notam. Dehinc longitudinis evariationem inveſtigabo per propoſitionem trigeſimam libri 1, hoc modo. Parallelus unde navigari cœptum, erat 52 gr. 25 ſcr. hic noviſſimus autem 28 ſcrupulis eſt minor; atque ideò 51 gr. 57 ſcr. differentia numerorum è *canonicis parallelorum*, qui ad hos pertinent, eſt 45.6587; ejuſdémque quadruplum 182.6348. Túmque quadrans tangentis qui ad hanc loxodromiam pertinet, per radium diviſus, dabit crus mecodynamicum $\frac{60355}{100000}$ quantum latitudinis

nis scrupulo erit consentaneum, per consectarium prop. 28, l. 1. Hinc itaque per propositionem 30, fiat: ut 10,000 ad Canonicum 182.6348, ita $\frac{63355}{100000}$, sive,



refectis

resectis abundantibus, 100.18263$\frac{6}{10}\frac{3}{100}\frac{3}{1000}$, hoc est, ut 100,000, ad 182.63, ita 633 ad scrupula evariatæ longitudinis 100$\frac{12}{100}$, qui sunt 1 gr. 50 scr. Atque hunc numerum selidi, quæ est è regione, inscribam; et quia cursus hic iter versùs optatum æquinoctialem promovet, eidem in selide sequenti adscribam S literam. Cursus iste in appositâ tabellâ exprimatur ductu lineæ *ae*. Ego hìc milliaria mecodynamica neglexi, quia ita faciliùs negotium absolvitur. Sed, si cui libeat, et ea quoque ratio placeat, per me id ei erit liberum: is enim tum, per propositionem 13 libri primi, quoque longitudinis evariationem in singulis invenire possit. Verùm id mihi videtur operosiùs: nos certè istam, quam jam instituimus viam, porrò sequemur. Quod si tamen velis cognoscere quo cursu simplici principium et finis compositorum cursuum copulari et conjungi possit; illìc sanè usum habeat hæc res. Sed idem quoque suprà, propositione 32 lib. 1, nobis est expositum; quarè huic selidi suum quidem locum assignamus, etiamsi nunc eâ non utamur.

Sequitur cursus secundus, qui ab *e* puncto sub parallelo 51 graduum et 57 scrupulorum, Ortum versùs, per 4 milliaria est continuatus; qui designatur lineâ *ei*. Hìc laterculo latitudinis nihil, sive 0, inscribam; quia in eam partem nihil est mutatum: et è regione in laterculo longitudinis 0 gr. 26 scr. 17 sec. Quæ sub isto parallelo quatuor milliaribus per propositionem undecimam libri primi debentur.

Tertia est loxodromia Z. O. t. O. quæ ordine quinta est, ut indicatur è regione selide secundâ, et quidem milliarium 13, qui cursus hic expressus est per lineam *io*; cui in evariatione latitudinis cedunt scrupula 29, rursùm subducenda; atque hæc ita cum his notis suis laterculis inscribantur. Inde quoque ut suprà longitudinis evariatio datur 1 gr. 10 scr.

Quarta est loxodromia O. Z. O. hoc est, quemadmodum secundâ selide est expressum, loxodromia ordine sexta, qui cursus hic expressus est lineâ *ou*, milliarium 14; unde evariatio latitudinis datur 0 gradus sed 21$\frac{1}{4}$ scrupula: quam ita suæ selidi inscribam; et, quia latitudinem loci, unde discessum est, minuit, è regione adscribam notam subductionis S. Hinc, ut ante, longitudinis evariatio dabitur 1 gr. 23 scr. addenda: quæ singula in suas propriásque selides referam, ut priùs.

Quintus cursus est VY iterùm O. Z. O, seu loxodromia ordine sexta milliarium 3; unde latitudinis evariatio datur 0 gr. 4$\frac{1}{2}$ scr. subducenda: quæ ita suis laterculis inseram. Porrò longitudinis evariatio hinc existit 0 gr. 17$\frac{1}{3}$ scr. addenda antecedentibus: atque ita suis laterculis inscriptas vides.

Sextus cursus est W. Z. W. Loxodromia itidem ordine sexta, milliarium 11, quæ designatur in tabellâ per lineam YS; unde latitudinis evariatio datur 0 gr. 17 scr. quæ adhuc in austrum tendit, atque ideò subducenda; unde parallelus per S punctum datur 50 gr. 45 scr. Et hìnc evariatio longitudinis invenietur esse 1 gradus et scrupula 4$\frac{1}{2}$: sed, quia hic cursus in occasum reflectitur, subducenda. Quarè longitudinis differentia inter meridianos per A et S transeuntes erit tantùm 4 grad. 1$\frac{1}{2}$ scrup.

Septimus cursus est W. t. Z. loxodromia itidem ordine septima, milliarium 1$\frac{1}{2}$, quæ exprimitur lineâ SR; unde latitudinis evariatio invenietur 0 gr. 1 sc. subducenda,

ducenda, quia cursum promovet in austrum. Et inde longitudinis evariatio o gr. 8 scr.; quæ est itidem ab antecedentibus subducenda, quia cursum in occasum contrà scopum adauget. Atque ita utrosque hos numeros suis locis referam.

Octavus cursus est Z. O. t. Z. loxodromia tertia, quæ notatur lineâ RL, est milliarium $2\frac{1}{2}$; unde latitudinis evariatio datur o gr. $8\frac{1}{3}$ scr. quæ itidèm, ut omnes antecedentes cursum in meridiem promovet. Hinc longitudinis evariatio invenietur o gr. $8\frac{1}{2}$ scr. quæ rursùm ex instituto cursum versùs optatum scopum promovet. Atque ideò ita suis locis referam cum notis, illìc S, hìc A.

Nonus cursus Z. O. t. Z. est Loxodromia ejusdem generis cum antecedente, scilicet, Loxodromia tertia, et designatur per lineam LM, milliarium 5; atque ideò dabit latitudinis evariationem o gr. $16\frac{2}{3}$ scr. subducendam; et inde evariationem longitudinis o gr. $17\frac{3}{4}$ scr. addendam.

Decimus cursus MN, Z. Z. O. loxodromia secunda milliarium 14, dabit latitudinis evariationem o gr. $51\frac{3}{4}$ scr. ab antecedentibus subducendam, et longitudinis evariationem o gr. 33 scr. quæ itidem cursum versùs locum optatum promovet. Atque ideò cum suis notis suis locis inseram. Hactenùs integro quatriduo in mari Oceano jactati, nullam de cœlo observandi occasionem habuêre; nunc tandem redditâ serenitate, et discussis nebulis, observatio ipso meridie ad solem instituta exhibet poli altitudinem 48 gr. 38 scr. Hanc cum eâ, quam èx loxodromiarum cursibus et quantitate derivavi, contendam. Additis enim latitudinis evariationibus ad singulos cursus pertinentibus, (quæ è cursuum quantitate jam sunt derivatæ, et omnes homogeneæ in meridiem à septentrione continuatæ,) dabitur earum summa, 2 gradus et 58 scrupula; quæ, de primâ poli altitudine in puncto A 52 gr. 25 scr. deducta, relinquet altitudinem poli N puncti æstimatam 49 gr. 27 scr. Atqui observata erat tantùm 48 gr. 38 scrup. Differentia utriusque est 49 scrupulorum. Si igitùr huic cœlesti observationi fidam, et de ejus diligentiâ certus sim (eam enim postridiè ad solem, aut noctu ad fixas, iteratâ observatione explorare poteris,) hìc, repudiatâ latitudine ex cursibus æstimatâ, navem in tabellâ ex N puncto in parallelum observatum FG transferam sub eodem meridiano NG; ut latitudinem quidem ad cœlestem observationem componam; longitudinem autem, quam ex loxodromiis derivavi, servem eandem; quæ hìc item ex singulis cursibus eruetur, additis addendis, et subductis subducendis; quemadmodum hìc vides.

gr.	scr.
1	50
o	26
1	10
1	23
o	$17\frac{1}{4}$
o	$8\frac{1}{2}$
o	$17\frac{3}{4}$
o	33
5	$15\frac{1}{2}$. A.

gr.	scr.
1	$4\frac{1}{2}$
o	8
1	$12\frac{1}{2}$. S.

Summa addendorum eſt 5 gr. 15½ ſcr. et ſubducendorum 1 gr. 12¼ ſcr. Si itaque hunc de illo ſubducam, relinquitur longitudinis evariatio 4 gr. 3 ſcr. tantúmque ab inſulâ et loco A versùs ortum profecimus in F. Si igitùr A ſtatuatur ſub meridiano 344, N et F erunt ſub meridiano 344; adeò ut hæc tranſlatio termini F tantùm latitudinem ſpectet, manente longitudine æſtimatâ.

Verùm hic primum illud occurrit, quod differentia inter obſervatam et conjectaneam altitudinem intercedat 49 ſcrupulorum; quæ ſatìs magna differentia eſſe videatur; et propterea obſervatio minùs diligentèr fuiſſe inſtituta. Sed in obſervatione nullum ſubeſſe vitium, conſenſus arguit. Cum enim plures, et quidem periti naucleri eâdem veherentur navi, quorum major pars et Orientalem et Occidentalem Indiam non ſemèl adierant; quique hujuſmodi obſervationum eſſent callentiſſimi; tamen omnes infrà nonum et quadrageſimum gradum ſubſiſtunt, et eâ gratiâ horum omnium obſervationes accuratè et diſtinctè adnotabo.

1	2	3	4	5	6
48. 34	48. 8	48. 58	48. 38	48. 20	48. 7

Ego obſervationem quartam in omnibus ſum ſecutus, cujus autor, ut cæteris in arte peritior, ita ſummâ diligentiâ et ſedulitate in hoc negotio ad æmulationem uſque ſit verſatus; vides enim è reliquis quatuor longè etiam infrà ipſum ſubſiſtere, unum autem tantum excedere; quod argumenti ſatìs eſt eam obſervationem eſſe vero proximam; quarè ea nobis pro legitimâ eſto; et inter conjectaneam atque obſervatam latitudinem tanta differentia, quantam ſuprà expreſſimus, nempe 49 ſcrup. Quamobrem illud nunc hinc conſtantèr arguitur, maris agitationem illic à Boreâ in meridiem ferri occulto motu, atque ideò tanto plus ipſos profeciſſe quam exiſtimarent, aut conjecturis aſſequi poſſent. Etiamſi enim hujus motûs non eſſent ignari, et conjecturas ſuas in itineris confecti æſtimatione, et curſûs plagâ ſecundùm acûs magneticæ ſitum factâ, nonnihil ſecundùm eam maris agitationem definiverint expreſſeríntque; tamen nondum ipſum verum uſquequaque aſſecutos res ipſa loquitur: quod idem quoque, obſervatione ad diem 24. inſtitutâ, infrà confirmabitur. Et quamvis hoc motu longitudinis differentiam quoque non nihil luxatam exiſtimem; quia tamen pedum nulla apparet via, ex quâ eadem quoque inſtaurari corrigíque poſſit, ea tanta nobis retinenda eſt, quantam calculus è loxodromiis derivatus ſuppeditavit. Et hinc à puncto F reliquæ deinceps loxodromiæ ſunt ordinandæ poſthabito N termino, tanquam erroneo.

Ab F itaque ſit initium curſûs undecimi, qui eſt Loxodromia Z. Z. O. iterùm ſecunda, 2. milliarium; unde latitudinis evariatio datur o gr. 7⅓ ſcr. augens itineris profectum in meridiem: et evariatio longitudinis o gr. 4½ ſcr. itidem adjectiva, ut in canonio expreſſum vides; quæ in tabulâ deſignatur à lineâ FH.

Hinc duodecimus curſus Z. W. loxodromia quarta, milliarium 7⅓, ut HK; unde latitudinis evariatio dabitur o gr. 21⅕ ablativa; et longitudinis evariatio o gr. 32½ ſcr. ablativa, quia in occaſum reflectitur, cum noſter ſcopus, *Faiael*, in

in ortum à nobis absit; atque ita suis notis in selides et laterculos debitos hos numeros referam. Et quia reliqua tabella non capit, cum his exemplis satìs clarè omnia expresserimus, solos numeros, quibus longitudinis et latitudinis evariatio explicatur, in canonio cum suis notis calculo nostro subductos annotabo, et finem hìc faciam: ubi illud ante monuero, me scrupulorum particulas in latitudine quoque adhibuisse, et illam λεπτολεσχιάν secutum; non quod tanti ea res sit, sed duntaxàt ut hoc exemplo docerem ad summam ἀκρίβειαν hìc nihil esse reliqui, quod jure desiderari possit. Et sanè quamvis absque damno istæ particulæ impleri, et scrupulum proximum assumi possit in quatuor primis, seu minùs obliquis loxodromiis; certè in reliquis, maximè post quintam aut sextam Loxodromiam, minùs tutò negliguntur; cum illìc facilè unius aut alterius scrupuli differentiam, in obliquissimis etiàm complurium, earum neglectus inducere possit.

Hic ita porrò calculum latitudinis et longitudinis ac singulos cursus subduxi, usque ad diem quartum et vicesimum, ubi rursùm de cœlo observatum est, atque loci seu illius paralleli latitudo inventa 42 gr. 54 scr. cum ex conjecturâ et itineris confecti æstimatione deprehenderim 43 gr. 58 scr. ergò nunc fit manifestum quòd integro gradu in conjectaneâ latitudine erratum sit. Atque ita à conjecturis ad observationem transibo, et pro æstimato parallelo 43 gr. 58 scr. statuam navem in parallelo 42 grad. 54 scr.

Quamobrem, cùm, et suprà et nunc quoque, bìs jam sit observatum navem utrobique integrum gradum suprà æstimationem profecisse in austrum; cúmque observationes de cœlo factæ sint (quantum maris agitatio sinit) satìs accuratæ, insupèr itineris quoque æstimata quantitas et plaga communi omnium consensu approbata; atque ita quidem ut à peritissimis solet, quíque hujus agitationis non essent ignari; experimur tamen in isto exemplo mare adhuc potentiùs à Septentrione in meridiem cieri quàm ipsis visum sit: Optandum utique esset frequentes peritorum nauclerorum navigationes diligentèr consignatas in peritorum manibus versari, ut inde paulò constantius de istâ latente et occultâ agitatione judicium capi posset: et naucleri, qui ista maria frequentant, commoneri, quemadmodùm æstimatas loxodromias, aut cursus in suas ephemerides referre debeant; quémque cursum pro alio substituere habeant necesse; vel potiùs, quod in talibus utique mavelim, ut visæ loxodromiæ absque nauticâ censurâ quemadmodum pyxis eas exhibuit seorsìm consignarentur, et seorsìm item iidem secundùm ipsorum censuram; ita enim veritas faciliùs in apertum educeretur. Ea sanè res maximi esset usûs. Memini enim viros in hac arte peritos, mihi olim narravisse nauclerum quendam non è vulgo, qui semèl atque iterùm Amstelodamo Maderam insulam contrà Africæ promontorium positum peteret, bìs irrito cursu et re infectâ domum reversum, neque eam in medio mari positam adire potuisse. Scilicet occulta illa maris agitatio ei non erat perspecta; atque ideò et ipsi et heris suis profectio ea fuit damnosa.

Sequitur observatio quarta ad diem vigesimum sextum 39 gr. 24 scr. ubi conjectanea latitudo datur 39 gr. 18 scr. (differentiâ minimâ inter utramque;) longitudo autem 350.0.

Tum quinta ad diem vigefimum nonum 39 gr. 16 fcr. et conjectanea 39 gr. 31 fcr. et longitudo 352 gr. 36 fcr.

Hinc fexta 39 gra. 24 fcr. Deinde feptima 39 gra. 13 fcr. Poft hanc octava 38 gr. 58 fcr. Denique ultima ad diem 4 Augufti 38 gra. 50 fcr. cum longitudine è loxodromiis derivatâ. 2 gr. 30 fcr.

Atque ita primum meridianum, qui per infulas *Corvo* et *Flores* ducitur, tranfivimus, et concludere debemus quod *Faijal* infula, (quam hoc curfu petivimus) 2 gr. 30 fcr. ifto orientalior fit. Atque diftantia meridianorum ab infulâ Bellâ ad hanc ufque erit 22 gr. 59 fcr. et latitudinis differentia 13 gr. 35 fcr.

Haud aliâ ratione longitudinis et latitudinis evariationem è fingulis curfibus derivatam annotavimus, et cum obfervatâ latitudine comparavimus ab infulâ *Faial* ad extremum fummúmque Hifpaniæ promontorium *Caput finis terræ* vulgò dictum, quæ omnia fuis felidibus et laterculis ordine infcripfimus, unde differentia latitudinis datur 3 gr. 52 fcr. longitudinis autem 18 gr. 1 fcr. Et tota longitudinis differentia inter *Infulam Bellam* in Americano littore, atque *Caput finis terræ*, Hifpaniæ promontorium, datur 41 gr. 0 fcr.

Illud verò obitèr mihi hìc notandum videtur, primum meridianum à quibufdam ftatui per infulas *Corvo* et *Flores*, quia iftic acus magnete illita accuratè Septentrionem et meridiem fpectat; ab aliis autem per *Terçeram* infularum Canariarum, (feu Fortunatarum, ut quibufdam videtur,) unam, in quâ eft celfa et fublimis petra altitudine quinquaginta ftadiorum, ídque ratione perpendiculi; quæ ab intervallo quatuor graduum è meridie aut feptentrione adventantibus fpectatur. Cum enim altitudo poli in *Tenariffâ* fit 28 gr. 20 fcr. *Maderæ* autem 32 gr. 30 fcr. tamen à *Maderâ* ufque videtur fuprà horizontem extare altitudine templi eminùs confpecti. Hunc igitùr montem, *El Pico* incolis dictum, tanquam fignum à naturâ pofitum plerique hodiè primi meridiani initium ftatuunt; diftat autem meridianus per *El Pico* in *Tenariffâ* eductus à meridiano per infulas *Corvo* et *Flores* gradibus quatuordecìm. Quod fi igitùr hic primum meridianum ftatuas, *Faijal* erit fub meridiano 11 gr. 30 fcr. Et quamvis perinde fit unde meridianorum initium derivetur ad differentiam longitudinis è curfibus inveftigandam; neceffe tamen eft ut id accuratè cognofcas, fi iter tuum in ipfâ tabulâ velis confignare, ut nôris in quorumnam locorum viciniâ verferis. Quamobrem hæc ita monuiffe fufficiat; et hic quoque fimùl fecundi libri finis efto.

F I N I S.

TABULÆ

TABULÆ

CANONICÆ

PARALLELORUM.

	0	1	2	3	4
1	1.0000	61.0031	121.0247	181.0830	241.1964
2	2.0000	62.0033	122.0253	182.0844	242.1989
3	3.0000	63.0034	123.0259	183.0858	243.2013
4	4.0000	64.0036	124.0266	184.0872	244.2038
5	5.0000	65.0038	125.0272	185.0886	245.2064
6	6.0000	66.0040	126.0279	186.0901	246.2089
7	7.0000	67.0041	127.0285	187.0915	247.2115
8	8.0000	68.0043	128.0292	188.0930	248.2141
9	9.0000	69.0045	129.0299	189.0945	249.2167
10	10.0000	70.0047	130.0306	190.0960	250.2193
11	11.0000	71.0049	131.0313	191.0976	251.2220
12	12.0000	72.0051	132.0321	192.0991	252.2246
13	13.0000	73.0054	133.0328	193.1007	253.2273
14	14.0000	74.0056	134.0336	194.1022	254.2300
15	15.0000	75.0058	135.0343	195.1038	255.2328
16	16.0000	76.0061	136.0350	196.1054	256.2355
17	17.0000	77.0063	137.0359	197.1071	257.2383
18	18.0001	78.0065	138.0367	198.1087	258.2411
19	19.0001	79.0068	139.0375	199.1104	259.2439
20	20.0001	80.0071	140.0383	200.1120	260.2468
21	21.0001	81.0073	141.0391	201.1138	261.2496
22	22.0001	82.0076	142.0399	202.1155	262.2525
23	23.0002	83.0080	143.0408	203.1172	263.2554
24	24.0002	84.0082	144.0417	204.1189	264.2583
25	25.0002	85.0085	145.0426	205.1207	265.2613
26	26.0002	86.0089	146.0434	206.1225	266.2643
27	27.0002	87.0091	147.0444	207.1243	267.2673
28	28.0003	88.0094	148.0453	208.1261	268.2703
29	29.0003	89.0098	149.0462	209.1279	269.2734
30	30.0004	90.0101	150.0471	210.1298	270.2765

	0	1	2	3	4
31 32	31.0004 32.0004	91.0104 92.0108	151.0481 152.0491	211.1317 212.1335	271.2795 272.2827
33 34	33.0005 34.0005	93 0111 94.0115	153.0500 154.0510	213.1354 214.1374	273.2858 274.2890
35 36	35.0006 36.0006	95.0119 96.0123	155.0520 156.0530	215.1393 216.1413	275.2921 276.2954
37 38	37.0007 38.0007	97.0127 98.0131	157.0541 158.0552	217.1432 218.1452	277.2986 278.3018
39 40	39.0008 40.0008	99 0135 100.0139	159.0562 160.0572	219.1473 220.1493	279.3051 280.3084
41 42	41.0009 42.0010	101.0143 102.0147	161.0583 162.0594	221.1513 222.1534	281.3117 282.3151
43 44	43.0011 44.0012	103.0152 104.0156	163.0605 164.0617	223.1555 224.1576	283.3185 284.3219
45 46	45.0012 46.0013	105.0161 106.0166	165.0628 166.0640	225.1597 226.1619	285.3253 286.3287
47 48	47.0014 48.0015	107.0170 108.0175	167.0651 168.0663	227.1640 228.1662	287.3322 288.3357
49 50	49.0016 50.0017	109.0180 110.0185	169.0675 170.0687	229.1684 230.1706	289.3392 290.3428
51 52	51.0018 52.0019	111.0190 112.0195	171.0699 172.0712	231.1729 232.1751	291.3463 292.3499
53 54	53.0020 54.0021	113.0200 114.0206	173.0724 174.0737	233.1774 234.1797	293.3535 294.3572
55 56	55.0023 56.0024	115.0212 116.0217	175.0750 176.0763	235.1820 236.1844	295.3609 296.3646
57 58	57.0025 58.0027	117.0223 118.0229	177.0775 178.0790	237.1868 238.1891	297.3686 298.3720
59 60	59.0028 60.0030	119.0235 120.0240	179.0803 180.0816	239.1915 240.1940	299.3758 300.3796

	5	6	7	8	9
1	301.3834	361.6625	422.0525	482.5722	543.2407
2	302.3872	362.6681	423.0600	483.5821	544.2532
3	303.3911	363.6736	424.0676	484.5920	545.2658
4	304.3950	364.6792	425.0752	485.6019	546.2784
5	305.3989	365.6849	426.0829	486.6119	547.2910
6	306.4029	366.6905	427.0906	487.6220	548.3037
7	307.4069	367.6962	428.0983	488.6320	549.3164
8	308.4109	368.7019	429.1061	489.6421	550.3292
9	309.4149	369.7077	430.1139	490.6523	551.3421
10	310.4189	370.7135	431.1217	491.6625	552.3550
11	311.4230	371.7193	432.1296	492.6728	553.3679
12	312.4271	372.7252	433.1375	493.6830	554.3809
13	313.4313	373.7310	434.1454	494.6934	555.3939
14	314.4354	374.7370	435.1534	495.7037	556.4070
15	315.4396	375.7429	436.1615	496.7142	557.4201
16	316.4438	376.7489	437.1695	497.7246	558.4333
17	317.4481	377.7549	438.1776	498.7351	559.4465
18	318.4523	378.7609	439.1857	499.7456	560.4598
19	319.4566	379.7670	440.1939	500.7562	561.4731
20	320.4609	380.7731	441.2021	501.7669	562.4865
21	321.4653	381.7793	442.2104	502.7775	563.4999
22	322.4697	382.7854	443.2187	503.7882	564.5134
23	323.4741	383.7916	444.2270	504.7990	565.5269
24	324.4785	384.7979	445.2353	505.8098	566.5404
25	325.4829	385.8042	446 2437	506.8207	567.5541
26	326.4874	386.8105	447.2522	507.8315	568.5677
27	327.4919	387.1681	448.2607	508.8425	569.5814
28	328.4965	388.8232	449.2692	509.8534	570.5952
29	329.5011	389.8294	450.2777	510.8644	571.6090
30	330.5057	390.8360	451.2863	511.8755	572.6228

	5	6	7	8	9
31 32	331.5103 332.5149	391.8425 392.8490	452.2949 453.3036	512.8866 513.8978	573.6386 574.6507
33 34	333.5196 334.5243	393.8555 394.8621	454.3123 455.3211	514.9090 515.9202	575.6647 576.6788
35 36	335.5291 336.5338	395.8687 396.8753	456.3298 457.3387	516.9315 517.9428	577.6929 578.7070
37 38	337.5386 338.5434	397.8820 398.8887	458.3475 459.3564	518.9542 519.9656	579.7212 580.7355
39 40	339.5483 340.5532	399.8954 400.9022	460.3654 461.3744	520.9771 521.9886	581.7498 582.7641
41 42	341.5581 342.5630	401.9090 402.9159	462.3834 463.3924	523.0001 524.0117	583.7785 584.7930
43 44	343.5680 344.5730	403.9227 404.9297	464.4015 465.4107	525.0234 526.0350	585.8075 586.8220
45 46	345.5780 346.5831	405.9366 406.9436	466.4198 467.4291	527.0468 528.0586	587.8366 588.8513
47 48	347.5882 348.5933	407.9506 408.9576	468.4383 469.4476	529.0704 530.0822	589.8660 590.8807
49 50	349.5984 350.6036	409.9647 410.9718	470.4570 471.4663	531.0942 532.1061	591.8956 592.9104
51 52	351.6088 352.6140	411.9790 412.9862	472.4758 473.4852	533.1181 534.1302	593.9253 594.9403
53 54	353.6193 354.6246	413.9934 415.0007	474.4947 475.5043	535.1423 536.1544	595.9553 596.9704
55 56	355.6299 356.6353	416.0080 417.0153	476.5138 477.5235	537.1666 538.1788	597.9855 599.0007
57 58	357.6407 358.6461	418.0227 419.0301	478.5331 479.5428	539.1911 540.2034	600.0159 601.0312
59 60	359.6515 360.6570	420.0375 421.0450	480.5526 481.5624	541.2158 542.2282	602.0465 603.0618

	10	11	12	13	14
1	604.0773	665.1016	726.3333	787.7929	849.5008
2	605.0927	666.1203	727.3557	788.8193	850.5315
3	606.1083	667.1392	728.3782	789.8457	851.5623
4	607.1239	668.1581	729.4007	790.8723	852.5981
5	608.1395	669.1770	730.4233	791.8988	853.6241
6	609.1552	670.1960	731.4470	792.9255	854.6550
7	610.1709	671.2151	732.4687	793.9522	855.6861
8	611.1867	672.2342	733.4915	794.9790	856.7172
9	612 2026	673.2534	734.5143	796.0058	857.7485
10	613.2185	674.2726	735.5372	797.0328	858.7797
11	614.2344	675.2919	736.5602	798.0598	859.8111
12	615.2504	676.3113	737.5832	799.0868	860.8426
13	616 2665	677.3307	738.6064	800.1140	861.8741
14	617.2826	678.3502	739.6295	801.1411	862.9057
15	618.2988	679.3697	740.6528	802.1655	863.9373
16	619.3150	680.3893	741.6761	803.1958	864.9691
17	620.3312	681.4089	742.6994	804.2232	866.0009
18	621.3476	682.4286	743.7228	805.2507	867.0328
19	622.3640	683.4484	744.7463	806.2783	868.0648
20	623.3804	684.4682	745.7699	807.3059	369.0968
21	624.3969	685.4881	746.7935	808.3336	870.1290
22	625.4134	686.5081	747.8172	809.3614	871.1612
23	626.4300	687.5281	748.8410	810.3892	872 1935
24	627.4467	688.5481	749.8648	811.4171	873.2258
25	628.4634	689.5683	750.8887	812.4451	874.2583
26	629.4801	690.5884	751.9126	813.4732	875.2908
27	630.4969	691.6087	752.9366	814.5013	876.3234
28	631.5138	692.6290	753.9607	815.5295	877.3560
29	632.5307	693.6494	754.9849	816.5578	378.3888
30	633 5477	694.6698	756.0091	817.5861	879.4216

	10	11	12	13	14
31	634.5647	695.6903	757.0334	818.6145	880.4545
32	635.5818	696.7108	758.0577	819.6430	881.4875
33	636.5989	697.7314	759.0821	820 6716	882.5205
34	637.6161	698.7521	760.1066	821.7002	883.5537
35	638.6334	699.7728	761.1311	822.7289	884.5869
36	639.6507	700.7936	762.1558	823.7577	885.6201
37	640.6681	701.8145	763.1804	824.7865	886.6535
38	641.6855	702.8354	764.2052	825.8155	887.6870
39	642.7029	703.8564	765.2300	826.8445	888.7205
40	643.7205	704.8774	766.2549	827.8735	889.7541
41	644.7381	705.8985	767.2798	828.9027	890.7878
42	645.7557	706.9196	768.3048	829.9319	891.8216
43	646.7734	707.9408	769.3299	830.9612	892.8554
44	647.7911	708.9620	770.3550	831.9905	893.8893
45	648.8089	709.9834	771.3804	833.0199	894.9233
46	649.8268	711.0048	772.4055	834.0494	895.9574
47	650.8447	712.0262	773.4309	835.0790	896.9915
48	651.8627	713.0478	774.4533	836.1087	898.0258
49	652.8807	714.0694	775.4818	837.1384	899.0601
50	653.8988	715.0910	776.5073	838.1682	900.0945
51	654.9170	716.1127	777.5330	839.1981	901.1290
52	655.9352	717.1345	778 5586	840 2280	902.1635
53	656.9534	718.1563	779.5844	841.2580	903.1981
54	657.9718	719.1782	780.6102	842.2881	904.2329
55	658.9901	720.2002	781.6361	843.3183	905.2677
56	660.0085	721.2222	782.6621	844 3485	906.3025
57	661.0270	722.2443	783.6881	845.3788	907.3375
58	662.0456	723.2665	784.7142	846.4092	908.3725
59	663.0642	724.2887	785.7404	847.1397	909.4076
60	664.0828	725.3110	786.7666	848.4702	910.4428

	15	16	17	18	19
1	911.4781	973.7461	1036.3266	1099.2422	1162.5158
2	912.5134	974.7864	1037.3724	1100.2938	1163.5735
3	913.5489	975.8269	1038.4183	1101.3454	1164.6313
4	914.5844	976.8675	1039.4642	1102.3972	1165.6893
5	915.6200	977.9081	1040.5103	1103.4491	1166.7373
6	916.6557	978.9489	1041.5565	1104.5010	1167.8055
7	917.6915	979.9897	1042.6027	1105.5531	1168.8637
8	918.7273	981.0306	1043.6491	1106.6052	1169.9221
9	919.7632	982.0716	1044.6955	1107.6575	1170.9806
10	920.7992	983.1126	1045.7420	1108.7099	1172.0392
11	921.8353	984.1539	1046 7887	1109.7623	1173.0979
12	922.8715	985.1951	1047.8354	1110.8149	1174.1567
13	923.9077	986.2365	1048.8822	1111.8676	1175.2156
